

IANI DOVSÆ A NOORTWIICK EPODON EX PVRIS IAMBIS LIBRI II.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex officina Christophori Plantini.
CIƆ.IƆ. LXXXIV.

Mancante frontespizio

IANVS DOVSA
IOANNI POSTHIO
Archiatro Wirzeburgico S. D.



Ecentem IAMBORVM meorum fœtum, nomini tuo iampridem destinatum, mitto aliquando ad te, vir Clarissime. CVI BONO? inquies. vt LEVANÆ, aut STATILINI vicem nobis benignitas præstet tua: quô videlicet partus hic noster iam inde ab ipsis incunabulis

POSTHIADÆ GENII *tibicine sustentatus,*
Vitalis fieri, ac cæli conuexa tueri
Discat, & erectos ad sidera tollere vultus.

quem firmitudinis gradum vti adipiscatur tandem, in tua, mi POSTHI, tuique consimilium manu omne positum arbitramur. Libri sunt duo, non gemelli illi quidem (ne frustrà sies) verùm sic formâ inter se simili tamen; vt, nisi tẽporum ratio obstaret, vno eodemq. partu editos autumare possis. ità concolores prorsùs, eiusdemq. seminij, & (quod rei caput est) ex iisdem ambo numeris ac elementis concreti planissimè. O hominem proletarium! inquies. Magis dicas, si scias, quàm non pauca ex his, adminiculante NVMERIA, nobis pænè sub

manu nata, ſine obſtetricis opera & ſine laboribus. partem dico, non omnia. etenim pleriſq.

* Cordus, qui tardè naſcitur.

*CORDI generis LVCINAM, aut NIXIOS DEOS haud ſemper in tempore præſto fuiſſe; vel me tacente rei ipſius moles indicio eſſe poterit. Titulum mutuati ab HORATIO ſumus; cætera ad CATVLLI exemplum. qui muſteum ad hanc meſſem nobis callem concinnauit primitus: non quidẽ ipſo horreo, vti nos; ſed manipulo tantùm, vel pugillo potius hocce ADOREÆ genus nimis ſanè auariter PHASELI ſui vectoribus admẽſus. reliquos enim, ſeu meros, ſeu mixtos huiuſdẽ manuductoris noſtri IAMBOS præterfluere ſino: quibus tantum abeſt, vt VENVSINVM illum à ſcribendo deterruerit; vt audentiorem etiam reddiderit inſuper ad huiuſcemodi præconium de ſemet faciendum publicitus: *Parios ego primus* IAMBOS *Oſtendi Latio.* quanquam haud paullò hic CATVLLO liberior, adiuncta prætereà iſtiuſmodi Cautione, vt Senariolis ſuis alternos Hexametros interponeret; idq. haud amplius ſemel. Nam quid hîc SABINVM Maronianum, aut minuta illa denique, quæ ibidem CATALECTORVM titulo leguntur, ſpeciatim attinet commemorare; ità contracta planè ac parciproma manu appenſa nobis, vt in promulſide & quaſi guſtui modò, augendæque verius

verius quã minuendæ fami præbita videantur. Atq. hisce omnibus, quos dixi, plura eiusdem porrò notæ edolandi volũtatem potius, quàm facultatem aut copiam defuisse est verisimile. Inter recentiores verò AVRELIVS AVGVRELLVS ex hoc tanquam mustaceo laureolam princeps expetere ausus est sibi. cuius, LIBITINÆ iam olim sacrati, MEMORIAM haud solicito. Pax sit MANIBVS eius potius, ne cum laruis conluctari voluisse videamur. Vnus I. CÆSAR SCALIGER (quo ego viro nihil statuo fieri posse diuinius) quantum in hoc genere posset, abundè singulari, PARODIAS excipio, & quidem iusto Poëmate expertus; non modò conatus hosce DOVSICOS, sed verò & spes nostras ac vota pænè omnium longo post se interuallo reliquit. de REGIA illa ac VALESIANA ad MARIGNANVM VICTORIA loquor, in cuius PÆANE celebrãdo verè VICTOR ac TRIVMPHALIS hic noster: tantumque omnes sæculi illius aurei Poëtas bene scribendo supergressus, quantum REGES bene faciendo magnus ille MVSARVM HERCVLES FRANCISCVS. Reliqui intrà PARODIARVM suarum septa & quasi sinus conclusi, penetrare se in hoc profundum, ne ingurgitare dicam, altius refugerũt. quod mirum sanè nemini videri debet, qui quidem vrinationis istius tam periculosæ periculum fecerit modò

rit modò. Itaq. EPODON mearum impolitiam non excuso,in hac præsertim numerorum necessitate,quam eiusmodi esse scio, vt si nõ laudem,at fauentiam certè ; vel absque vlla veniæ præfatione,apud æquos æstimatores facilè me reperturum confidem. Qua satisfactione contentus,prò geminis germanis illis Epigrammatibus tuis multò festiuissimis geminos hosce à DOVSA tuo EPODON Libros accipies,in quibus præter asperitates suprà ostensas,etiam has nobismetipsis Leges præscribere placuit,vt CÆSVRÆ vbique rationem haberemus: nimisq̨pòl temerè,vt scis,tanquam rem superuacuam, à plerisq. hodie Poëtantium penitus neglectam; qui,in summa ac plusquam Comica numerorum licẽtia,Sectionem istam nihil quidquam ad se pertinere iudicarũt. Homines plus æquo indulgentes sibi,quorum incogitãtiam tamen, an inscitiam dicam, flagellare non est meum. Itaq. finem faciam; teq́. per cõmunium Musarum sacra obsecrabo,mi POSTHI; vt hæc tuæ fidei ac fiduciæ concredita à Vitilitigatorũ calumniis,quod facis,pergas defensitare: nosq́ue ad meliora olim commentanda tuo potissimũ exemplo stimulatos accendere. Vale, teq́ue IAMBIS nostris cognoscendis,an ignoscendis, quantum potest, accinge. LVGDVNI Batauorum. Anno.D. cIↃ. IↃ. LXXXIII.

AD

AD CLARISS. VIRUM IOANNEM POSTHIVM ARCHIATRVM WIRZEBVRGICVM:

EPODON DEDICATIO.

MALA hæc meo vnde cura oborta sic repens
Et ægritudo pectori,
Frequente cor mihi exedens molestia?
MINERVA, *quæso dicito.*
Ità ipse; contrà ATHENA *sic mihi: Ah miser,*
Neque ad futura callide:
Cui profana perpetim occupatio
Cupita turbat otia:
Nec vnquam HERA *æqua risit,* ANTIATIVM
Præesse digna SORTIBVS,
Vaga, inquieta, lubrica, ac velut pilas
Habere suéta homullulos:
Rogare ten', tot obrutum ægrimoniis
Quid ergò cor grauet tibi?
At in tuum hæc patrare nil potis caput
Fuisset vnquam acerbius,
Meis patente si modò aure Legibus
Stetisset obsequi tibi;
Tuaq́, SORTIS ipse viueres FABER,
Et hancce fingeres tibi.

HERA: cognomẽtum Fortunæ attributum antiquitus.

Sed hæc iam omitto; at illud ægrius mihi,
Quòd hinc & inde MVSICIS
LIBELLVLIS *tot, ô, citatus indies;*
VADEM DARE *vsque differens*
MINERVIVM *hocce sic Tribunal horreas,*
Forumq́; deseras tuum,
Tibi ipse trico, quo quid immodestius,
Quid esse turpius potest?
Et hæc in ore iam propè omnium frequens
Querela. prò quibus tamen
Supersedebo flagitare te hoc loco;
Satisq́; prò omnibus mihi
Futuras vnus, ille flos MACHAÖNVM,
Meúsque, & AÖNVM *simul,*
NICRI, *ánne* MOENI *alumnus: ille qui tibi*
Poëmatum hercle par nimis
Putum elegansq́; RHENI *ab* VRBE *muneri*
BATAVA *ad* ÆSTVARIA
Vehi; tuasq́; abire iussit in manus,
Manus suæ indices notas,
Eum inter ac te Amoris Auspices notas,
Fauentiæq́; SYNGRAPHAM.
Cui satis quòd vsque factum adhuc nihil,
Tui hercle nosse me piget,
Pudétque. iamq́; Virginale quo os mihi
Rubore tingier putas?
Cui imbecilla frons, vti omnibus, quibus
Honesta inesse mens solet.

Phrasis est Varroniana: *Pudet me tui & Musarum agnoscere.*

Neque

Neque, illa reddita, insiterier, tibi,
FORI *vllius potes* STROPHA;
Manum in manu ipse POSTHIANAM *habens*
Tot vnde febrientibus [*tuâ*;
Salus creata; tot leuata ab vltima
Necessitate corpora,
Suæq; restituta sanitudini:
Fide, arte, ope inclytam Manum.
Habes, & hancce pridem habere te mea
Habent LYCÆA *cognitum,*
Et vniuersa LEÎDA. *Tutemet palàm*
Idem ipse gloriæ tibi,
Vidente, duxti, & audiente LIPSIO;
FABRO, HEVRNIÓQVE *conscius.*
Fluuî interim modo HORA *labitur tibi,*
Dieq; truditur dies.
At ipse adhuc morator esse sustinens,
Inertiæ atque MVRCIÆ
Litare pergis, officî immemor tui,
Remunerare quo meum
Tuumq; vatem APOLLO *debuit tuus,*
Vel admonente me nihil:
Loquax modò ille, PRÆFICAMQVE & OSCI-
Tuâ anteire NÆNIA [NEM
Suetus: imò, tinnuli æris in modum,
Et hûic, & illi, & obuio
Cuique, neminiq; non molestias
Mala vsque merce Carminum

FABRI nomen Bon. Vulcanio accommodatum. Vide inf. Carmẽ 18. nomini eiusdem inscriptum

 Creare

Creare. Quin ad illud os vetus tuum
POETICI *ingenî os redi,*
Silentioq́; pone terminos tuo;
Iture POSHII *in manus,*
Francia Orientalis Franconia vulgò nûcupata. *Et ora docta,* FRANCIÆ *ora quêis tumet.*
Satísne plena fulminum
Atroxq́; visa postulatio hæc tibi?
At illa me quoque insuper
Rigore voltuoso, OCLÍSQVE ÇOESIIS,
CETRA'QVE *perculit sua:*
Renuntiare contubernio ilicet
Meo, idq́; perpetem in modum,
Minata, dicto obediens nisi forem.
Ità ergo versibus tuis,
Dissidium, prò Diuortio. *Simulq́;* DISSIDÎ, *imò* GORGONIS *metu,*
Subactus ARBITRA *à meâ,*
Male hercle vixq́; tandem IAMBIÇVM *hoc opus*
Repono, vti vides, tibi;
POETA *magne, qui* DE ABVS *omnibus*
DEÍSQVE *septus ambulas:*
Vicemq́; reddo; non quidem, ipse quam meres,
Referre sed quam opis mea est.
Tibi æqua namque, dignitate prò tua,
Rependere ipse si velim,
M. Anton. Casanoua. *Manuq́; te remunerarier pari,*
LIBRA & *quasi* ÆRE *rem gerens:*
Sincerus Sannazarius. *Ciendum ab Orco acumen Atticum mihi*
CASANOVÆ'NE, *an* ACTII?

Vel HAGIENSIS *vmbra vatis, hac quidem* Ioannes Secundus, popularis noster.
SECVNDI in arte nemini.
Vel ipsa mî roganda PIERIS *foret,*
Suo olim alumno & assecla
Parumper ora commodaret vt sua,
Lyram, aureumq́ pectinem:
Vt ante suêta, quàm diu Alitis mihi
Dei aura nutriit facem:
Meisq́ feruere ipse PINDVS *ignibus,*
Et vnda visa CASTALIS.
Ibi illa quùm iocósa lusa plurima,
Per ora quæ volant virûm;
Tuis MELISSE *vecta plausibus polo;*
Neque improbata POSTHIO.
Obest bibosa nunc Sodalitas mihi,
Obest veternus ingenî;
Nihílque, præter impares IAMBICOS,
Hiare raucus audeo.
Quid hoc mihi, aut quid illud officit tamen,
Tibi POETA *si vocor,*
AMORE *dignus esse si putor tuo?*
AMORE, *quem nisi inuicem*
In ore, oclísque, corde, & intimo in sinu
Feram; haud recuso, quin REVS
SACE'RQVE *viuam, ope omni & omni adorea,*
Bonisq́ rebus indigus,
Honore, luce, dignitate, gratia:
Meoq́ LIPSIO, *& bono*

Cuique

Cuique ſpretus ac peroſus ambulem.
Amore dico, quem niſi
Amem excolamq́; mutuum, nouiſsima
Pati haud recuſo, laminas,
Cruceſq́; mille, mille contumelias,
Et omne ludibrî genus.
Nouum proin, puto, haud videbitur tibi;
Quòd hæcce ritè nomini
Tuo dicata, POSTHII *apta* POSTIBVS,
SACRÍSQVE FIGIMVS THOLIS.
Placere quæ ſi, vt illa quæ Parectato*
Mihi excidere iam diu,
Tibi, aut MELISSO; *& æmulis ei, aut tibi,*
Reſciuero; haud mora vlla, quin
VEREDI *ad aſtra me impetus ferat tui,*
BICORNE *quo haud Iugum modò,*
Sed & nivoſa CAVCASI *cacumina,*
Et ipſum ATHLANTA *tranſuolem.*

* A Lucillio eſt.

Hoc ad Nomen, Symbolūque, & Inſignia Poſthiana pertinet.

BON. VVLCANII BRVG.

AD IANVM DOVSAM NORDOVICI DOMINVM

προτρεπτικόν.

AMOR ſacrarum & vna virginum cura,
Tuæque Leydæ ocelle, ocelle Norduici,
Quid hoc rei, quid eſſe ſuſpicer cauſæ

Latêre

Latêre quòd tot ingenî tui fœtus
Serenioris indigos sinis lucis?
Tot, inquam, acuta, tot polita, tot docta
Iambica, inuidenda vatibus priscis?
Metúsne dentis efficit Theonini
Tenebricoso vt hactenus situ pressi
Subire aperta luminis reformident?
Sed hoc timere Dousicus vetat splendor,
Cui haud magis renitier potest liuor,
Micantis atque Apollinis faci bubo,
Ita omnibus malæ inuidentiæ telis
Celebritate nominis cluis maior,
Poëticesque honore proximus Phœbo
Amica iura dicis arbiter Musis.
Vidésne Dousa, quantus omnium plausus
Fauensque gratulatio excipit vatum
Tot erudita pectoris tui dona
Duo ante lustra publicam edita in lucem?
Propola testis institorque sit creber
Citus petens bis annuo gradu Mœnum,
Tuis onustus & beatus vt libris
Velut petita ab insulis nouis merce,
Remota ab orbe regna Belgico ditet.
Frequens tui ergo pullus Allemannorum,
Frequens sagacioris Italus nasi,
Frequens Britannus & Scotus, frequens
Gallus
Acuminis leporis & salis præco

Negant tuis politius modis quidquam
Rotundiúsve posse ab arte formari.
ROSILLA seu, vel IDA nesciæ lethi
Tuis ad alta versibus volant astra,
Suauiationibúsve mellitis
Facis, libenter vt tibi loco cedat
SECVNDVS, haud secundus hactenus cuiquam.
Quis ô legentium attonat stupor mentes,
Valere quando Cypridos iubens lusus
Seueriore Martium sonas plectro:
Tuaque vindicatam ab hostibus dextra
Ibericique faucibus lupi ereptam
Apollinis sacrarium canis Leydam?
Canendus ipse posteris, coronaque
Reuinciendus aureum caput sacra
Salutem auûm ferentibus tibi acceptam.
Iberus ipse quamlibet suam indignans
Tua ferociam & manu & stylo pressam
Tuis iniquus vnus abstinet Musis,
Nigroque censor improbus notat Thetâ,
Furore qualis efferatus, aut œstro,
Diania ira quem fatigat, huc illuc
Ruit, vagusque mente fertur exsensa,
Suique viuit ipse nescius morbi.
Benigniora sed rotant diem fata,
Bonæ integræque quando redditus menti
Suisque factus eruditior damnis,

Tuas

Tuas feretur vbere alueo in laudes;
Probanſque rara dona mentis & dextræ,
Sibi ſuiſque, ne quid abſit, exemplo
Inante ponet vnum & vnicum DOVSAM.
Legêre tunc & accolis Tagi & Betis
Prioris exſecrantibus veternum æui.
Sed hanc propinqua dum trahit dies ſortem,
Fruantur hiſce fac bonis, boni & docti
Quibus palatum ad has diu eſt dapes factum,
Stribliginiſque neſcia incolunt regna.
Frequens rogat te id exterus, rogant Belgæ,
Notæque amicus optimæ vt tibi eſt quiſque.
Amica te id rogare Muſa LERNVTI
Nec ipſa ceſſat vſque & vſque VICTORIS,
Tuuſq. Teutona intonans tuba HAVTENVS.
Probat, rogatque & ipſe Belgices Phœbus
Camœnæ amore LIPSIVS tuæ flagrans.
Age ergo DOVSA, tot ſodalium vota
Fauonio fauentiæ tuæ aſpira.
Volent per ora Iambici virûm docta
Nec inuideto fœtibus tuis lucem
Superſtitique gloriam patri tantam.
Id inficeta claudicanſque Vulcanii
Amore Muſa nupero tibi iuncta
Fidelitate nemini tamen cedens
Sacros per ipſa FRVTERI rogat manes,
Negéſne DOVSA proxeno huic libens
quidquam?

CAROLI

CAROLI ROCASII I. C.

IN IANI DOVSÆ EPODON LIBROS PARODIA.

LIBELLVS iste, LECTOR æque quem vides,
Ait fuisse Carminum putissimus:
Neque vllius suaue acumen ingenî
Nequisse præterire, siue ludicris
Opus valere, siue seriis foret.
Et hoc negat negare LIPSIVS meus,
Meusque VICTOR, & Sacri vmbra IVNII,
HYELLÆ Amator, ipse item CVIACIVS,
PHARÍQVE pisce STELLIO nocentior:
Vbi, iste pòst LIBELLVS, anteà fuit
Papyrus alba, patrioque candidè
Virere pura visa semper in luto.
Bataua LEÎDA, tuque NILE cannifer,
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima
IAMBVS inquit: vuida ex origine
Tuo eluisse se fatetur alueo,
Tuique Vatis isse in astra plausibus:
Et inde tot virûm per ora nobilem
Herum extulisse; læta, siue nubila incidisset aura; siue DELII sui
Fauore tutus ab se vtramque sperneret.
Neque vlla Vota Literalibus DEIS
Sibi esse facta, quùm veniret à domo
Paterna in orbis extimas procul plagas.
Sed hæc fuere: laude nunc Poëtica
Viget vegetque, seque dedicat tibi
APOLLO DOVSIE atque DÔVSA APOLLINIS.

IANI DOVSÆ

EPODON LIBER I.

CARMEN I.

In PETRI FORESTI MEDICI, aduersus Vroscopos, nuperosque ac nouitios Empiricos, DE INCERTO VRINARVM IVDICIO nouam DIALOGORVM Editionem.

QVID *hoc boni? quid aura nunciat Deûm?*
Rei quid ore publicæ
Profecta gratulatio ista vult sibi?
FAVETE *voce & auribus:*
FAVETE. *Fallor? an Fauentiam suis*
Silentiumque debitum
Apollo commodare nos iubet sacris?
Apollo, non quidem specu,
Vbi Orbis vmbilicus esse fingitur,
Ciendus ille Delphico:
Vbi ALBA VIRGO *Fata consulentibus*
Lebete promat aureo
Operta, flexa, sceptuosa, Pythia
Furente digna scilicet:
Sed hicce noster, anchora omnibus Sacra,
Batauum apertus in modum,

Batauo in orbe, DELPHI *item Vrbis incola*
Apollo, an Æsculapius?
Cui ipsa Delij Ara claritudinis
Hònore cedat, & fide.
Ità euidenter explicare quæ roges,
Palamq́; visus omnia.
Ità apta cuìque temperare pocula,
Receptum & in fidem semel
Leuare promtus efficace pharmaco,
Reapse dico, non logis.
Hic est Apollo noster iste DELPHICVS;
Nouum Bataviæ meæ,
Suæq́; sospitale Patriæ iubar.
At vnde murmur hoc repens,
Tumultus esse quale Panicus solet?
Quid? ánne ad arma curritur,
Mihiq́; signa ductitanda denuò?
Vt, ô supreme Cœlitum
Parens, vt omne quod natricum alit suo
Modò in sinu Batauia: vt
Domi forisq́;, vt hostium quod vspiam est
Eas repentè perditum.
Repentè, ne quid interim accidat, magis
Perisse cur eos velim.
Sat hoc. parari at istiusmodi nihil
Rei ipse languor arguit,
Et excitatus ore dissono fragor.
Et agmen ecce velitum

Ominosum enim hoc antiquitùs.

Inerme

Inerme castra commouentium sua:
Nihilq́, præter, irritus
Iouem ipsum & astra territantium minis,
Sacrum Histrioniæ gregem.
Araneoso an obsita hinc & hinc situ
Supina signa non vides?
Nec vllus ordo: pilum, an hasta sit tibi,
An arcus, interest nihil.
Scias abesse multitudini Ducem,
Abesse corpori caput;
Pedes adesse, queîs fugacius nihil,
Nihil meticulosius.
Viróne cuî timere tale conuenit
Manipularium genus?
Pithecia ista dico, sanguinis quibus
Marisq́ succi inest nihil.
Sed esto, demus esse vel Pholis pares,
Gyasq́ & Eurytos meros,
Quid est, quòd ipse tot duces habens Deos,
Focisq́ PRÆSTITES *tuis*
Lares, Gigantuli vllius ferociam
Morere? gnarus, impiam
Apollo Brenni vt attonauerit manum,
Solo mouente, ab æthere
Per alta templa lapsus. hinc suis rata
Loquace signa prælij
Dare arca, & arma dißipare Gallica
Geluq́ visus ac niue.

Signorum supinitas, rei male gestæ, seu adhuc gerundæ indicium.

Graui illa Achaïam omnem, & arua Phocidis
Gelare fecerat metu
Iuuenta capta cæca opum cupidine,
Boníſque rebus inſolens:
Apollini palam auſa comminarier,
Sacris nec ipſius Dei
Nec abſtinere Gaza ab aurea manum,
Philippicæq́; Pythiæ
Pudore. Sed quid aut Emanus impiger,
Quid ipſe ductor agminis,
Tumenſve torque Theſſalorus aureo, aut
Celoce onuſta Liberi
Caterua, contrà Iäcchica arma frondibus
Operta, & ignei Dei
Caput bicorne, Mænadúmque Tympana
(Eöaqueîs cohors prius
Fugata) poſſet? hinc ſonante Gorgone
Minerua, parte ab altera
Diana ſtare viſa, cornuum eminus
Timenda flexu, & obuia
Ferire quæque vindice occupans manu,
Vt ira mota numini.
Sua ipſa mole conſilî orba vis ruit.
IO TRIVMPHE, IO. *Haud ſecus*
Et ipſe Phœbe noſter hoſte de tuo
TROPÆA *victor eriges,*
Libros, Foreſte, DELPHICOS *habens domi,*
* APERTÆ *operta ſors quibus*

Allusum ad illud Demosthenis, Pythiā φιλιππίζειν. Galli enim *Torquati.*

Iustinum vide.

Aperta, Apollinis cognomētum, quia patēte cortina respōsa dare solitus. Festus

TRI-

TRIPVSQVE *cedat, ancipésque* DICTIO.
Proin tua ista ciuibus
Citò, exterisq; fac opella pareat,
Ope indigentibus tua.

CARMEN II.

AD EVNDEM.

FORAS, *foras Foreste. iam nimis diu*
Sibylla ahena Delphicæ,
Et obsoleta Sortium silet fides.
Quid ah morare? quin frui
Tua ista scripta iure publico finis,
Meo huic tuóque sæculo
Diu expetita, nec tacenda posteris?
Foras Foreste quin migras,
Sat, ô, supérque muginate? prodeas
Virûm sub ora denique,
Apollinare ô Æsculapÿ genus:
Manu, omnibusq; copiis
Gregi paratus obuiam ire barbaro,
Serapicisq; Simÿs,
Styli minace rem gerens acumine,
Pedémque ferre cominus.
Cuniculis neque aggredi hoc genus modò,
Sed admouere machinas,
DEO *approbante. Ne valere sit mihi,*
Nisi his videbis illicò

 Micare

Micare corda, membra contremiſcere,
Labare genûa præ metu,
Lita haud cruore (vti addecebat) hoſtico,
Herili at vſta lotio.
Premente terga qualis hinc & hinc cane
Fuga eſſe Vulpium ſolet.
Vidéſne vt ora pallor occupauerit,
Et ipſa primo in impetu
Remiſſa ſponte tela dexteris fluant?
Vidéſne terga vortere,
Tuis inuſta terga ſtigmatum notis;
Suiſq; flere cladibus?
Fleant, eaſq; maximam in malam crucem:
Cucurbitaſq; pingere
Foreſte, vapulare & improbos iube.
Abite carcinomata,
IATRICEN *profeſſa* LOTIO TENVS,
Sophiſticoq; ſchemate
Adulterare, quidquid ARTIVM *eſt, ſolens.*
Hiante fauce, non oclis
Modò atque nare digna Lotium, & loqui
Quod erubeſco, paſcere.
Abi Idiota Circulator hinc, abi:
Faceſſe Agyrta de Foro.
Quibus loquacis affatim arrogantiæ eſt,
Peritiæ parum, aut nihil:
Neque vlla mica literarij Salis,
Crumenimulga natio.

Loquutu-

Loquutuleia turba abitè Simij.
Forestiana scilicet
Foras fauente Pagina exit alite
Virûm sub ora denique.
PERENNITATIS *hoc, memento* GLORIA,
Sinu almo vt educes Opus.
Nouo quod vsque flore GRATIÆ *rigent,*
Riget IVVENTA *Nectare:*
Laboris, artus, ingenî acrimonia
Forestiani imaginem:
Cui ipsa diam HYGEÎA *luceat facem.*
Opus Bilustre, quod neque
Mala inquinare lingua, nulla Temporum
Necare vastitas queat.
Proin faueta, priua, siue publica
Cui vlla cor tagit SALVS.
Faueto, Dîsq; Vota Sospitalibus
Iouiq; ritè soluere
Pius memento. faxo, vt vsque ad hanc diem,
GALENI *in Arte doctius*
Amoeniúsue lectitasse te nihil,
Salubriúsue prædices:
Neque vnde voti opimitate plenior,
Magísue visus EVLOGVS
Abire. Testor Arctici Poli fidem,
Marisq; Sanctitudines,
BRITANNICÆ *quod* ARCIS *assonat solo,*
Meisq; Nordouicibus.

Ex præcepto Horatij, nonum in annũ premi iubẽtis, quod victurum putes.

Allusum ad operis ipsiusargumẽtum, in quo EVLOGI persona disputantis inducitur.

Retenta queîs periculo meo in fide
Propinqua LEIDA *visitur.*
Vbi TRIVMVIR *ipse Publicæ Scholæ*
Datus, meóque LIPSIO
Poëta carus ante cæteros cluo.
Sua vnicuîque Gloria est:
Tibi, Foreste, pellere ægritudines,
Et ante-stare cæteris
Medendi in Arte tempus, vsus, ac labor,
Genîque gnauitas dedit.
Quibus subinde perge mactus aureum
Vocare solis ad iubar
Pigra sopore iam reuincta corpora:
Iubens Charonta denuò
Leui redire semper ad suos rate.
Grauem hercle quam modò hostica
Velim esse strage, & hoc genus struicibus
Male inuidentium tibi.

CAR-

CARMEN III.

AD CL. V. L. LANÆVM.

LANÆE, *quo pòl eruditius nihil*
Pientiúsve Sol videt:
Quid hoc, quid esse lentitudinis putem,
Inerte murcidam situ
Chelym atque surda plectra quæ tenet mihi?
Parúmne adhuc silentio
Datum? tot en peracta plenilunia,
In ære quùm fui tuo;
Neque vlla debiti explicata pars mihi.
Id ergò quo luam modo?
Stipísne fœnus vnciariæ petis?
An vna sors sat est tibi?
At expedire ne hanc quidem efficax ego.
Ità arcta inópsque res mihi.
Tua ampla contrà, & vsque fœtibus nouis
Suëta pullulascere.
Manum proinde tollere imparem tibi,
Neque esse pernicax volo.
Tua est arena (cedo) campus & tuus,
Et herba debita hæc tibi
Ouatióque. Quid requiris amplius?
O omnium quod vspiam est
Scientiarum, & Eloquentiæ pater;
Tibíne tantum ego otij

Fuisse credam, vt aure conditas caua
Iuuentæ ineptias meæ
Subire cor iecúrque siueris tuum?
Tibíne dico, cui latus
Caputq́; tanta vis negotij premit,
Frequénsque Concionibus
Corona, quanta vix tonantis aureo
Vezêlî ab ore gens puto
Sabauda pendet. vnde faustum in hæc loca
Pedem attulisse te, queri
Omitte. fors benigna & hæc Deus suum
Reducet in statum vice.
Cui huc vocanti vt obsequutus hactenus,
Ità esse dicto obediens
Iubere, prò inberis. *Iubere porrò. at ille Leîda (vt arbitror)*
Migrare te vetat tua.
Tuam esse dico, quæ quidem ante cæteras
Studere se probat tibi.
Vidésne, nostra te mouente pulpita
Lepore Gratiæ tuæ,
Vt aure & ore dicta deuoret tua
Hians Bataua concio?
Rudis quidem illa, necdum acuminis capax,
Vel acrimoniæ tuæ:
Sed erudita mox futura te Duce, hîc
Manere si velis modò:
Nouæ Architectus esse nec neges Scholæ,
Opem vsque quæ inuocat tuam;

Facitq́;

Facitq́, Vota, voce ſupplici, tibi,
Ab orbe ne Batauico
Te amœnioris oppidi trahat ſitus,
Vel ora temperatior.
Morare quæſo Literariæ bono
Rei educate, & edite,
Et expolitus ipſa Hyantidum manu.
Morare; nec tuam tibi
Lubido tanta ſit redire Galliam,
Carere vt ore LIPSII,
Veliſq́, munus abdicare Publicum,
Et eierare Principem.
Lemana queîs fluenta præferas, caue;
Vel aſpra montium iuga,
Quibus propè Oſſam & ipſum Athlanta pro-
Ioui minatus Allobrox. (uocat
Redi: neque id rogare noſtra te modò
Lycæa, ſed tuum puta
DONELLVM, *& hocce quod piorum in op-*
Fauentûm honoribus tuis: (pido eſt
Quid? & vaga ecce te reprendere è fuga
Triumuiratus hic meus,
Et obuiam ire iure Publico tibi,
Frequente Pube cogitat.
Mouere ſi te ea vniuerſa non queunt,
Mouere, amabo, ſingulis.
Vel eſſe ſi pote impetrabile hinc nihil,
Et hancce mordicus tibi

Stat,

Stat, ô, fouere pertinaciam semel,
Neque vlla vota, vel preces
Valent, Lanæ, te mouere de statu,
Profectionis asseclas
Abire tecum & emigrare nos sine,
Leporis indigos tui.
Sequemur vsque, vt vmbra corpori it comes,
Præire dum voles modò.
Nec hoc, puto, vngue recta ab orbita procul,
Soloq; abibimus tuo.
Neque amnis vllus obstiturus hîc mihi,
Salebra nulla, non scrobes,
Vel asperum quoque innocentibus mare.
Sequemur vsque quô voles.
Quid? vlla tecum an euenire deuia
Via, vnà euntibus potest?
Eamus. I pete intus ocreas, Puer,
Sagumq; vt adferas, vide.
Vbi ensis? & (rei esse quod caput solet)
Vbi Lagena cum mero?
Sinuq; fluxo adusque tibias chlamys,
At hirta pelle quæ siet.
Abi, vola, ociusq; causiam mihi,
Et expedito sarcinas.
Viaticatus vt Batauicum in modum
Videri & esse possiem.
Facesse. nolo Corbitam hanc dari mihi,
Celocem opellulam volo.

Valebis

Valebis vxor, atque auebis interim:
Vale octo liberûm parens,
Valete pignora octo. Ciuitas vale,
Fide ac periculo meo
Recepta. vosq́ cum Penatibus Lares,
Patrita, auita Numina;
Domus, reíque vindices domesticæ,
Focísque PRÆSTITES *meis.*
Auete, nostra queîs dare in patellulam
Μικρὸν κρέας *benignitas,*
Meroq́ supplicare & annua sue
Suëuit, imò menstrua.
Quibusq́ serta Vere missa non semel,
Virente & vua pampino,
Frequensq́ glauca duro oliua frigore:
Neque vna feruido rubens
Arista sole: nec FABATA PVLS *Foci*
Fouere sacra destitit.
Nouis & vsque pressa mella de fauis.
Omitto FÈRTA *cum* STRVE,
Pigetq́ Thura prædicare Mascula,
Molæq́ Salsæ adoreas.
Valete, remq́ Domesticam tuemini,
Superstitesq́ liberos.
At in locum horum adesto, SEMONVM *decus,*
VIALE *Par Larum mihi.*
Adesto, cumq́ Semitalibus Deis
Iuuare perge supplicem.

LARES PRAESTITES.

Ad FOCI Etymon allusum, quod à *Fouendo* deriuãt Grammatici.

LARES cognomento VIALES sunt apud Plautum.

Triforme

Triforme Numen inuocémne vis Deæ?
Abi. Inferos abominor.
HERCVLES SANCVS, cui *Propter viã*, sacrificium fieri solitũ docemur à Festo.
Quis Hercules mihi, ô, secundet hoc iter?
Quis Arcas? èia dicito.
Ità vsque DAPS, *& vncta Compitalibus*
CVLINA *suppetat tibi.*
Fauete vosq́, queîs voluminum fide
Sacrata Ritualium
FVGANDO AB HOSTE *nomina indidit Numa,*
LARES HOSTILII Vide Festũ.
Repertor ille Numinum,
Deûm Architectus ille mortualium:
Genus quod improbissimum est.
Satísne restituta sanitas mihi?
Satísne sarta denique
Reducta mens clienti & assecla tuo?
Quod, ah, quod insciens nefas
Patraui? At ipse pœnitentem habe reum,
Tuoq́ parce supplici:
Et vnicam remitte noxiam hanc mihi.
Quid hîc grauare? an id doles,
Scelusq́ vix piabile editum putas,
Quod exoleta Numina,
Poëticosq́ prædicauerim Deos?
Piacularem at ecce me
Dare hocce noxam ad arbitrariam caput,
Tmesis, prò Satisfactionibusque.
Satisq́ factionibus
Paratum, & eierare quidquid est Larum,
Penatibusq́ prò nothis

Litare

Litare MAXIMO OPTIMOQVE *Numini*
Et istiusce Muneris
Perennidædalo EDITORI, *& omnium*
Quod Orbi inesse cernimus,
Suprà, infrà, vtrinque, & vndequaque, quàm
Proculq́; MVNDVS *hic patet.* *(propè,*
Enim vnus ille mille prò Penatibus,
VIVSQVE *noster, &* RVBRVM
Per Æquor vsque sternere æquum iter suis
Paratus. Erro? an Astricis
Negotij istud OPTIONIBVS *dedit,*
Stati esse vt Arbitri velint,
Et Anteambulonum obire munia,
Homullulisq́; prauia
Manu anteferre luminis sui facem,
Locisq́; præsto in omnibus
Adesse, ne-qua fors molesta glarea
Pedi esse lubrico queat,
Manumq́; commodare cespitantibus,
Et in viam reducere
Vagum à grege agmen. Ite Fictiles Dei,
Iberæ abite Næniæ.
Deum inuocare, mens pudica quem iuuat,
Nec inquinata sordibus
Sinistra, & immolare cor merum, procul
Mero atque thure, pergimus.
Sator supreme, qui Viantibus praes
(BONVM QVOD ET RATVM FVAT)

Ad Festi illud: *Mundus ter in anno patere solet*: accōmodandū.

Vide Festū in voce *Optiones.* *Arbitri*, pro Inspectoribus, antiquè ac Plautinum in morem.

Iberæ Næniæ sunt in Prouerbijs.

Per

Per æqui, honesti, & innocentiæ vias,
Age ô iuuante dextera
Pedes patente calle dirigat meos
Fauentiæ iubar tuæ.
Mihiq́ (si Volentia hæc tamen tua est)
Bene euenire quam paro
Migrationem, iterq́ Celticum hoc mihi
Duce institutum & auspice
Lanæo, & hunc vel vsque Sequanos sequi
Via inscio fac annuas.
Vt, ô Deus bone, hîc erit volup mihi
Lubentiaq́, amiculos
Tria ante Lustra cognitos reuisere,
GERM. VALENS GVELLIVS PIMPONTIVS. IO. AVRATVS
VALENTEM, & AVREVM *meum,*
BAIFIVMQVE, *cumq́* PASSERATIO
Cupita inire fœdera:
Oclisq́ posse deuorare hiantibus
Tot erudita lumina,
Beata queîs tua ante cæteras cluit,
Tumetq́ iure Patria
Lanae, literarum & Artium RVDEM
Latî abstulisse finibus,
Et hanc habere visa pro sua palam,
Reflagitante nemine,
Quiritiumq́ mussitante GLORIA,
Tot orba amoribus suis
Honoribusq́, COTTA, AMALTHEIS *tribus,*
VIDAQVE, *teq́* FLAMINI,
FAERNE,

FAERNE, MOLSA, FASCITELLE, NAVGERI,
Tuaq; BEMBE, *& heu tua*
Abacta ab Vrbe SADOLETE *Purpura:*
Cui ACOLTVS *additus comes.*
Vbi heu, vbi illa nunc Latinitas Vetus?
Tuaq; IMAGINES IOVI
Diserte, quas LARÎ *erutas* LARARIO
Reuixe pænè cernimus?
Vbi heu MARVLLVS? *ipse vbi* ACTIVS *mòdò?*
Vbi CASANOVÆ *sales,*
Vel AÖNÎ *ardor? omnia hæcne Santonas*
Ità occupasse auariter,
Ad incitas redacta pænè vt Vrbs Remi?
Latinitatis & sibi
Rapace factum ab hoste relliquum nihil Hostis, prò peregrino, antiquè.
Palam ingemiscat Italus?
Et ipse, iusta quàm hæc querela sit, vides.
Vides, neque insiterier
Potes Lanae, mille passim AMALTHEOS
Tuas habere Gallias,
VIDA'SQVE *mille, mille* SANNAZARIOS.
O arua fœta Vatibus;
Et ora fausta, tot cui Elegantijs
Scatere cœlitus datum:
Tibíne Prisca Roma comparararier,
Tibíne Græcia audeat?
Tropæa Opima ab hoste Barbaro cape,
Adoreasq; debitas.

IO TRIVMPHE: *quid parare Pompam, equos,*
Iouiq́; Serta, & Hostias
IOS. SCALIGER IVL. CAESARIS. F. *Moraris? Hîc pòl vnico vnicus magis*
IOSEPHVS *ille constitit,*
Ordia idem quod exordia. Lucre. *Nouæq́; dia lucis hausit ordia,*
Rude hercle vāgiens nihil.
Ad Librum Iul. Cæs. Scaligeri, qui SIDERA inscribitur, pertinet hic locus. *Auisq́; dignus, & Parente* CÆSARE,
Tuisq́; BRENNE *posteris,*
Suprà paterna SIDERA *extulit facem,*
Genî efficacis alite.
BVDÆVS *hîc,* FABRIQVE, *& ipse* TVRNEBVS.
BOETVM *omitto: nec locus*
SIMEON BOSIVS PRAETOR LEMOVIC. CVIACIVM *hîc referre, vix satis tui*
PITHÆE *nominis capax.*
Vide Festū, in eundē, que Ios. Scaligeri Castigationes, in verbo Adtegrare. *Neque attegrandus ore* MEMMIVS *meo,*
TVANVS, *aut* BRISONIVS.
Tacendus ipse PELLICERIVS *mihi;*
Tacenda lima BOSI: AQVA
Tacenda BELLA, AQVA *vnde nomen inditum*
REMIGIVS BELLAQVEVS. *Diserte* REMIGI *tibi.*
Michael Hospitalis magnus ille Francicensis Regni Cancellarius. *Neque* HOSPITALIS *hoc locandus ordine,*
IODELLII'VE *Spiritus.*
Silendus, ausus Ilio superstitem,
SCAMANDRI *ab amne, masculo*
In arua Franca ductitare carmine,
Homerus ille Celticus.
PETRVS RONSARDVS. OLIVA *Vate transeunda cum suo,*
Ioachimus Bellaius. BAIFII'QVE *amatio.*

Diana

DIANA PORTII, & GREVINI OLYMPIA, Philippe de Portes.
Lepósque SANGELASII, &
AB AVRO *auita qui gerit vocabula* Ioan. AVRATVS.
POETA *iurè* REGIVS.
Iämbicæ nec apta neruijs Lyræ Neruiæ fœmin. genere in exemplis Varronis apud Nonium.
Tot aucta honore nomina,
LVTETIANA *queîs superba* CVRIA,
Tributa quadrifariam,
Triumphat, æmulúmque fert polo caput,
Deûm inuidenda cœtibus.
Sed, hinc vt ad LYCÆA *nostra denuò*
Reuortam, eò vnde abiueram,
Batauogalla prædicare Sidera,
Brabanticúmque LIPSIVM,
(*Qui & ipse Gallobelga, iure Patrio,*
Suísque moribus cluit)
DONELLE *téne concinam, an Themin tuam?*
Sua vtq, operta cæteris,
Sacraria vni aperta fecerit tibi
Ioue illa nata scilicet?
Neque obruendus hîc silentio mihi
Es ipsus, ô cui hoc nouum
Melos sacratur, hicce Iämbus inquio,
Et istud omne quod vides,
Lanæ: qui omnium instar vnus es mihi, hîc
Manere si voles modò.

CARMEN IV.

AD I. LIPSIVM, de eiusdem in Batauos aduentu Gratulatio.

AMORIS, ARA *quale Punici dedit*
PHILENA testimonium,
Mihi reperta talis & Fides tua,
Tibiq; , vt autumo, mea.
Ità ambo mutuum hinc & inde fecimus,
Redhostiente par pari
Amore contrà, amore non solubili:
BONVM QVOD ET RATVM SIET,
Probentq; sæcla postera. O amabile
Doliq; pectus inscium:
Cui neque ipse Momus obstrepat solens,
Nec obijci calumnia
Pote vlla, præter oris insolentiam,
Et istud Atticum genus
Docendi, inusitatum adhuc SCHOLÆ *rudi,*
Nouitiisq; pulpitis:
Lepore mitigare quod tamen tua
Videris Eloquentia.
O ause prime, cæteris pauentibus,
Tuorum in orbe Ciuium,
Reconditæ hanc sine æmulo scientiæ
Parare adoream tibi.
Licet modestus ambules, & obuio
Citam vnicuique des manum:

Nec

Nec vllum ab ore ſegreges tuo, tamen
Latere neminem potes.
Ità hinc & inde promitur Lepos tibi:
Ità euidentibus notis
Genî ingeniîq; comitas, & abdita
Relucet eruditio.
Vidéſne, prodeunte te domo foras,
Vel ambulante per vias,
Vt ora vertat hâc & hâc meantium
Amica gratulatio?
Rogantiumq; me: Hiccíne ille, qui volat
Virûm per ora LIPSIVS;
Sagaxq; ſcripta tot Remi nepotium
Notis recenſuit ſuis;
Poliuit, auxit, inq; priſtinum decus
Noua refinxit aſcia?
Is eſt pòl ipſus. oris vt decet nitor!
Probiſq; culta moribus.
Suäda! Næ illa Res beata Publica eſt,
Vbi Architectus is cluet.
Bataua LEIDA, *gratulare iam tibi*
Tuæq; Pubi, & omnibus
Quibus datum huius eſt negotium SCHOLÆ:
O omnibus venuſtior
SCHOLIS, *capace Terra quas obit ſinu,*
Ocelle Ciuitatium.
Beate Sol, dieſq; purius nitens,
Et aura, quæ Batauico

 Amica

Amica tale lumen attulit solo.
Nec albicante calculo,
Sed vnione Lux notanda, qua nouum hoc
Batauo in orbe Musicæ
Rei AVRASINA *cura Seminarium*
Probante condidit Deo.
Eamus omnis obuiam BATAVIA,
Et ORDO *Maior & Minor,*
Vt alteri hincce gratulemur alteris
Canente voce LIPSIVM.
AVE *bono ergo Literariæ Rei*
Et educate & edite,
Geniq́; singulare Belgici decus.
AVE *in quo & vno & vnico*
Opum speique nostra, quidquid est, SCHOLA
Locauit, vt vides, sibi:
Veníque nos docere docta non prius,
Solóque trita nullius,
BATAVICÆ *noua* AVRI, *& hospita vsq; adhuc*
Meis quidem illa ciuibus,
Sed vsitata mox futura te Duce,
Simul tibi assueuerint,
Caius Suetonius Tranquillus. *Tuóque* CAIO, *Acta quem Duodecim*
Notasse CÆSARVM *ferunt.*
Tibi ille namque lectus ante cæteros,
Quem & ordine & modo tuo
BATAVICÆ *legendo* PVBI *& exterûm*
Præire possies gregi.

Labore

Labore & arte mox recognitos tua
Ei additure CÆSAREM,
TITV'MQVE. *Namque* SARSINATE *de meo*
Silere nos iubet pudor:
Quem (vt ipse scis) Theatra nostra non ferũt:
Theatra, Musicûm loco
Virûm, referta Cerberis Forensibus,
Genus quod improbissimum est.
Theatra plena Pellionibus nouis,
Potitiísque Barbaris;
Quibus Latina nausea elegantia est,
Stribligo pro facetijs.

C. Cæsaris Commentarij.
Titus Liuius.
M. Attius Plautus Sarsinas.

CARMEN V.

Ad Hadrianum Blidenburgium.

ADESTE *Musa, adeste nuntiæ Iouis*
Tonantis, imò filiæ.
Præite verba, non quibus Tygres prius
Domasse, & amnium fugam
Stitisse Thraca fabulantur Orpheum:
PHASELON *at quibus suam*
Volare fecit ipsa adusque sidera
Amator ille CLODIÆ.
Neq. vt tamen NATANTIS *impetum hic* TRA-
Canam, ARIDA'MVE POPVLVM, (BIS
Imaginem, ô PRIAPE, *quæ ferat tuam.*
Valete mortuälia,

Abite. nullus vltrà ineptijs locus.
Tibi Hadriane, non Scaphæ,
Deóue ligneo apparatur hæc strues:
Tibi inquam ocelle Ciuium
Meûm. & pòl istud esse liberalius,
Periculiq; deputo
Minoris, ire per merentium, bene-
-volentiumq; nomina,
Iämbicante quàm furore percitum
Catullientis ingenî,
Sacrum Hospitalis eierare Tesseræ:
Et Iliæ nepotibus
Inusta publicè exprobrare stigmata,
Male eluenda posteris.
Nec vnquam ego haece adorea inclytus clui:
Nec hoc modo esse Nobilis
Amem POETA. *sat superq; Gloriæ*
Mihi ante-parta CIVICA,
IBERICÆQVE *contulere* LAVREÆ;
Labore tuta quum meo;
Fame intus, hoste vi gerente rem foris
Redacta ad incitas licet;
Inulta LEIDA, *vota Perduellium*
Minasq; risit irritas:
Moras metusq; quadrimestris obsidî
Deo ausa freta spernere.
O illa quot quibusq; cæpta res mihi,
Quibus patrata prælijs

Mole-

Molestijsq́; ! peste dum domestica
Laborat ægra Ciuitas;
Et obuiam ire Factionibus iubet
Sacrata PRINCIPI *Fides:*
Et excubare pro salute Publica,
Salutis ipse prodigus
Meæ, vsquequaque pergo, nec necis manu
Pauere factæ imaginem. Tmesis, prò Manufactæ necis.
Sed hæc prius fuere: nunc SCHOLÆ NOVÆ
Datus TRIVMVIR, *vndique*
Docere Pubem idoneos rudem Duces,
Et ARTIVM *quod vspiam est*
Professione nobiles viros, prece,
Fide, ore & ære Publico ad
Loca hæc vocare curo sedulò: vnde ouans
Lucri hoc reporto scilicet,
Amiculorum adaucta quòd seges mihi
Fauentum honoribus meis:
Quod vnus inter erudita nomina
Nec incelêbris ambulem.
Mihi DONELLVS *ecce pollicem premit,*
Mihi HEVRNIANA *mens patet.*
Mihi TIARA, *cûiq́; nomen à viro*
Suo ipsa Cypris indidit, BONAVENTVRA VVLCANIVS.
CYPRIS *beata: quæ nisi omnis in tuum*
Cor vsque & intimas fibras, IVSTVS LIPSIVS.
Diserte IVSTE, *se refudit, & thoris*
Prehensi adulteris Dei

Cubile porrò & ora pratulit tua,
Quid est, quòd amplius Venus
Venustulam approbare se velit mihi?
Facessat imò cum Fabro,
Suóque Marte, LIPSIANA *nî cluat.*
At illa alius esse se
Recusat ipsa, IVSTE, *quàm vnius tua,*
Erítque, quàm diu voles.
Idémque de me & ipse pollicerier
Tibi ausim, ô Atticum caput.
Mea haecce cura cautióque, talibus
Placere vt Arbitris queam.
Breuísque si quid otij à Pholis datur,
Domesticísque Nanijs,
Libenter hoc & omne Pacis *artibus,*
Reíque Literariæ
Stat imputare: nec mihi vlla suâuior
Opella, quàm studentium
Iuuare sedulò, auctum & ire commoda:
Nouúmque Ciuibus meis
Iter parare calle musteo: in quibus
Locum ipse penè principem
Tenes, fauente (ô Hadriane) me tibi,
Genî incitantis alite.
Et id quidem hercle iure (quis negat?) tuo;
Apollinare barbitum
Capessere ause, & admouere fontibus
Labra, vnde noster, & quidem

Adhuc

Adhuc ſine æmulo vnus vſque & vnicus,
Bibit SECVNDVS. *O neque*
BATAVICÆ AVRIS *obſolete ſordibus,*
Nec, vngue fictum opus rudi,
Ad hæc palata Carmen exigens tuum,
Sed ad Cleanthis omnia.
Valete tricæ, abeſte Voltures procul,
Crumenimulga natio,
LAVERNÆ *alumna: (quid Foro cũ Apolline?)*
Abite Litium ſtrophæ.
Ades, Blipyrge, nec fauentiam nega
Iãmbicantibus modis;
Camœna noſtra quos modò imputat tibi,
Tuo entheata ſpiritu,
Libelluloq; conuadata Muſico.
Age ergo, & hanc Schedis quoque
Habe abs Sodale Symbolam additam tuis,
Amoris Indicem meri.

CAR-

CARMEN VI.

Ad Ianum Gruterum. Albo eiusdem inscriptum.

DISERTE *Iane, te sonare quis mihi,*
Eposq́ quis dabit tuum?
Stylo quis æquor hocce arare charteum,
Et arua per papyrina
Satu loquace seminare literas,
Amoris Auspices meri?
Tabellulas quis irrigare Carminum
Nouis Grutere floribus:
Quibus puto ipsa nomen indidit FIDES?
Procul profana fæx, procul.
Mero vsque docta permadere pantices
Siticulosa natio.
Sat, ô, superq́ Libero ac scyphis datum:
Sat helluatus hos dies.
Poëta siccus vsque, & vsque sobrius
Cani haud, nisi ore sobrio,
Meretur. & pol osor ipse crapulæ,
Et helluantium cluo.
Neque vnquam ad vda transilisse pocula,
Nisi coactus, arguar.
Abi hinc Bimater ad Tricongios, abi,
Tuamq́ PERBIBESIAM.
Et hanc Grutero opellulam locem sine
Iämbicantis impetus.

Plautus Curculione. Vide Festum in Peredia & Perbibesia.

Sacri

Sacri trium ambo Virginum choris ſumus,
Sacri Sororibus nouem,
Athlantioq́: non præeſſe qui lucro,
Foríque ſuêuit aſſeclis,
Honorum opumq́, præbitori & arbitro,
Perenne ſed virentium
Adorearum & Eloquentiæ Deo,
Lyræ, Artiumq́, PRÆSIDI.
Abi hinc maligna Litigantium cohors,
Togati abite Voltures.
Enim volumen hocce Palladi ſacrum,
Cupidiniq́: non cui
Suburra, & vncta ſe popina venditat,
Amica ganeonibus,
Sed erudita qui alligare pectora
Pudore gnarus, & Fide,
Modeſtiæ arte, commodiſq́, moribus:
Quibus perire nos quoque
Grutere (ſi perire, viuere eſt) iuuat.
O omnium quod vſpiam eſt
Leporum alumne, an alme verius parens:
Sed vtrum alumnus, an parens,
Quid intereſt? amore quandò mutuo
Amas, faciſq́, mutuum
Amatus hiſce, filium vt ſolet parens,
Parentem amare filius.
LIBRO *proinde* SYMBOLAM *hanc, rogas, tuo*
Meumq́, nomen inſeram:

Quotus

Quotus Grutere? proximúmne LIPSIO
Locum occupare me iubes?
Puto hercle: eróque dicto obediens tibi.
Habes Grutere, quod petis.

CARMEN VII.

AD I. LIPSIVM.

Repente, ablatiuus prò Repentino.

NEC *ora fonte prolui Hippocrenio,*
Nec in bifronte stertuisse glorior
Olympo, vt inde sic repente somnio
POETA *abirem, Hetrusco vt ille vomere*
TAGES *refossus. ipse semipatrij*
Ineptiente Carminis licentia
Domesticis placere me auribus paro.
SOPHΩS, *&* EVGE, *pallidamq;* PHOCIDEM
Tibi tuisq; linquo. Quid Cycnis enim
Hirundo, IVSTE, *certet; aut aëdoni*
Poëta Coruus, atque Anas Poëtria?
Tibi tuisq; dico, qui videmini
Capace fauce, quidquid est, amystide
Aquæ ebibisse Thespiæ Lacus mihi.
Ità vt nec vna gutta EQVINA *relliqua*
Mihi, ordiniq; facta iam siet meo.
Ego quidem ista canto: frustrà. enim fidem
Nec ipse habes mihi, aut habere cæteros
Sinis, sed vsque flagitator improbus
Remissa plectra nos iubes resumere, &

Latina

Latina Sacra copulare Barbaris.
Quid ergo? eróne dicto obediens tibi?
Lubet quidem esse, sed fatisco sub iugo,
Fatisco IVSTE, *nec me* APERTA ***respicit,***
Vocatus, inuocatus ad preces meas
Vtrâque surdus aure,nec patens mihi.
Ità est: Diana scaua Dôusam agit ***tuum.***
Bono hercle iure. nam quid, ah,
Quid attinebat Arminî sacrum Nemus
Pede insolente tangere?
Proin *tibi quoque ipse (si sapis) caue,*
Caue ô suile Guestphalum:
Periculoq; cautus & catus meo
Fuge vsque, quod facis, fuge.
Caputq; opertus Herculem fac inuoces,
Malum hocce qui edomet tibi,
*Et omnium hercle pessimum & sacerri****mum.***
Quid ista sed iocor sciens?
Quasi autem, vbi ipse sis, opus sit ***Hercule,***
Aprugna monstra qui domet!
Quid? aut obire nullus Herculis vicem,
Vel ipse solus es potis.
Es inuocandus ipsus ergò met tibi,
Meo omniumq; nomine,
Quibus Rei vlla cura Literariæ est,
Sed ante cæteros meo:
Stupore cûi prope ille Carminis sui,
Et artis in me & ingenî

Allusum ad *Aperta* illud, vnũ ex Apollinis cognomentis, inde natum, quòd *patente cortina* respõsa ab eo dentur. Vide Festũ.

Dear-

Deartuauit omne, quod fuit prius:
Miserrimam ad necem quoque
Daturus, absque te foret, cui omnia
Mea, ipse meq; debeo.

CARMEN IIX.

AD IANVM HAVTENVM.

PATRONE, *scin' quid ore te roget meo*
Iämbus iste concitum mouens gradum?
Vt, interim Vltricensi in vrbe dum moror,
Domum neque hinc redire copia est mihi,
Tibiq; adesse, prò me onus vicarium
Subire ne grauere: curæ vt, inquio,
Querelam habere DOVSICAM *velis tibi,*
Meumq; iure vindicare ius mihi:
Et adiuuare, cum Reo hoste longius
Mihi iste Trico ne statum extrahat diem.
Sat hoc: creata vis negotij tibi.
Quid? vt leuare te laboribus velis
Molestijsq;, circùm vtrumque quæ latus
Volant, quibus cor vsque finditur tibi:
Perennis erùum vt exuas iugum semel,
SILENTIARÎ *in Vrbe sustinens onus:*
Nouaq; mente, mente sed tamen tua,
Procul labore, Litibus procul, Sacra,
Profana, Publica eierare stet tibi:
Vt aui id omne, relliquum quod est tibi,
Luben-

Lubentiaq́, Gratijsq́, consecrans,
Apollinare colloces in otium:
Meâ hac necesse merce te premi tamen,
Malâ hacce dico. cæteris enim omnibus
Die atque nocte ferias agas licet,
Mihi vni at esse feriatus haud potes.

CARMEN IX.

In PHILIPPI GALLIONIS Effigiem, ex cælatura HENRICI GOLTZII.

IN *ære, Lector, ora sculpta quæ vides,*
Imaginem esse GALLIONIS *vt sciaś,*
Meo, aut alius indice haud opus tibi.
Modò ante visus ille vel semel tibi.
Fatere? laudo: nec mihi hoc nouum tamen,
Cui haud PHILIPPVS *ipse cognitus modò,*
Sed &, notatam in ære quæ dedit tibi
PHILIPPICAM *hancce quam vides imaginem*
(PHILIPPO *vt vna digna) lima* GOLTSII.
O erudita Lima, ô artifex manus,
Beata GALLIONE GOLTSII *manus,*
Beata GALLIONIS *ora* GOLTSIO.

CARMEN X.

AD HADRIANVM BLIDENBVRGIVM DORDRECHTANVM, & DOMINICVM BAVDIVM Insulensem.

ADESTE (*nam quousque feriabimur?)*
Puellulæ Hippocrenides:
Gradum addite, atq; putrilagine ac situ
Araneisq; Paginam hanc,
Simulq; plectra vindicate DOVSICA;
Retensa iam nimis diu.
Sat, ô, sat oscitanti Inertiæ, Sacris
Sat ANGERONIÆ *datum.*
Reúmne LEGE *me* CICONIARIA
Agi vsquequaque cernitis?
Stat hinc BLIPYRGVS *ecce, at inde* BAVDIVS:
Neque esse desidi licet.
MODVS *profectò* REBVS, *&* SILENTIO *est.*
Neque vlla muginatio
Pote esse perpes, & vicißitudine
Placent laboris, otia.
Proinde iactus iste sit bolus mihi,
Notisq; passa carbasa.
Vt allubescit, HADRIANE, *te duce,*
BATAVA *peruehi Freta?*
Nouitiosq; nuperosq; Patriæ
Tuæ (ante sex Decennia

Puta

Putâ vnicumq; sæculum) additos Sinus
Oclo sagace persequi.
Vidésne, Continente vt omnis abs sua
Vetus reuulsa Ciuitas?
Tuum hocce MOSA *crimen, & tuum, ô nocens*
VAHALI, *ruptor Aggerum.*
Parũ ergò vestrûm vtrique, *MILLE CENTIES
Dedisse Ciuium neci,
Nisi insuper tot Arua, Prata, Compita
Amica Nundinantibus,
COLONIA'SQVE *agrestium,* OPPIDIS *pares,*
*VENILIÆ *æstuariis,*
SALO'QVE *vester imputasset impetus,*
Adusque SEPTIES DECEM?
Fuere nunc ea (heu reciprocæ vices)
Fuere, nec vola est super;
Nihilq; præter ARCIVM *cadauera*
Patente cernimus FRETO.
Et vnus ànte cæteros ego, hac cui
Domi aucupare copia est.
Domi, inq; Linteo æquore, an Papyrino,
Citrà periclum, & in vado.
Benignitati id omne debitum tuæ
Fero, hercle munus ac memor;
Iuuatq; ferre: remigantem identidem
Per æquor hocce charteum.
Stupes? at ipse mente, quò lubet, ferór
Volante: quodq; cæteris

Incidit enim calamitosa illa INVNDATIO in annum salutis CIↃ.CCCC.XXI. DORDRECHTVM.

* Tanta etenim capitum perhibetur summa fuisse, Quę salo & infestis obruta gurgitibus.

* *Venilia*, est vnda quæ ad littus venit, *Salacia* quæ redit ad mare. August. lib. 7. de Ciuitate Dei. Item Varro 4. de Ling. Latina.

PAGI enim amplius LXX. penitus inundati.

Frequens Phaselus, hoc Tabella DOVSIO
  PINA'XQVE *præstat hic tuus.*
Neque hacce sine largitas stetit tua,
  Opellam vbique mutuam
Locare visa, siue opus LIBRIS *mihi,*
  LABORE *seu foret tuo.*
LIBRIS, *Veterrima vnde quæque promere,*
  BATAVIÆ'QVE ORIGINES
Et VRBIVM *tot exoleta nomina*
  Reprendere è fuga queam.
LABORE, *quô minutus vt labor mihi,*
  Ità aucta porrò alâcritas.
Superstites, prò *Testibus præsentibus.* Vide Festū. SVPERSTITES *rei huius ecce* DÔVSIO
  GEORGII *duo: hic* SCOTVS,
GEORGIVS ANSELMVS, & BVCHANANVS. PADANVS *alter: ambo* DELII *in fide,*
  Poëmatum Architectones
Probi ambo: quæ tuâ exarata cuspide,
  Ahena Prela flagitant:
Virûm per ora dum volare gestiunt,
  Fruiq́ꝫ IVRE PVBLICO,
QVIRITIV'MQVE *vindicare Lauream*
  Nouo superba schemate.
Omitto culta prædicare carmina,
  Referta laudibus meis.
Quibus me Apollo muneratus est tuus,
  Tuiq́ꝫ Musa BAVDII.
O vtriusque dulce contubernium:
  O ambiundæ ADOREÆ

Mihi,

Mihi, omnibúsque corde præditus tuo.
Vt hinc præire nos tibi,
Vt ô lubido, BAVDIVM *sequi meum*
Olympi ad ipsa culmina,
Athlanticisq; ponere INSVLIS *pedem,*
Tumore ab Aulico procul,
Et omnia ista, quæ profana Plebs crepat,
Habere despicatui,
Nihilq; præter INSVLENSE *Barbitum,*
Ad astra ferre plausibus.
Bono hercle iure: Nam quid elegantius
LIBELLVLO *hocce* MVSICO,
VADATA *quô me* AGLAÎA BAVDIA *est modò?*
AGLAÏA, *haud Lacus olens*
Tuos Lyæe, sed Trapeta Palladis:
AGLAÎA, *Vere ouans suo,*
Neque vllo adulterata pharmaco genas,
Trahensq; sordium nihil.
O ore dignum & aure LIPSIA *Melos,*
HORATIO'QVE *spiritu.*
Vt affabrè asciata cuncta, vt oppidò
Polita, Dædalum in modum!
Probè omnia, absque Laudibus foret meis,
Ruboris omne quæ os mihi
Replere visa. Ità ore pleno, ità & manu
Profusæ vtrâque in hoc caput,
Nihilq; tale commerentem amiculum.
Nihil: mererier nisi hoc

 Honoris

Honoris arbitrare, quotquot Aönas,
Meumq. LIPSIVM *colunt.*
Quod ipsus hercle cogitabo, nî canas
Receptui, faterier
Palam paratus, hæc Poëticè tibi
Et excidisse per iocum.

CARMEN XI.

AD IANVM HESYCHIVM.

FRVI *quiete, nec minus silentio,*
Domiq. consenescere,
Mihiq., si quid æui adhuc foret super
Locare in otium, procul
Remoto ab vrbe constitutum erat semel.
O alma tempora, ô Dies
Diu inuocata, redditura me mihi!
O expetita PILEA!
DII DEÆQVE, *mente quàm procul sua*
Abire DÔVSAM, *& improba*
Migrare Vota, Spesq. cogitis ratas?
Ratas pòl, absque te foret
Diserte IANE, *qui noua Angeroniæ*
Parare Sacra nos vetas,
Caput neque esse iuris hoc finis sui;
Diu vt cupita PILEA
Capessat, vtq. iure peruicax suo
THALIA *nostra dictitet:*

*A*VE

AVE, PATRONA, VAPVLA PAPYRIA: Vide FESTVM, in Vapula Papyria.
Manu illa missa scilicet.
Licétne, si tacere non licet, queri?
Licétne Numen HERCVLIS
Et inuocare, quidquid est Deûm, FIDEM?
Licet profectò. nec tibi
Molestiæ hanc meam esse πρόφασιν *decet,*
Cui ipsa IVRIS *Æquitas*
Patrocinatur. Ipse, vt æstuem, vides:
STYLI *vtq;* VERSOR, *haud* SOLI,
Malè hercle, vixq; quidquid hoc Poëtici est
Laboris edolauerim.

CARMEN XII.

AD GEORGIVM BENEDICTVM HARLEMENSEM.

MOLANVS *ille, Siderum recens nitor,*
Poli additus Quiritibus,
Vt in se, vt ecce gaudet? vt placet sibi,
POEMA *ruminans tuum?*
POEMA, *quale vota non modò mea,*
Sed & CASANA *vicerit.* M. ANTONIVS CASANOVA Epigrammatarius argutiss.
Bono hercle iure: nam quid vsquam acutius,
Venustiúsue Sol videt?
Beatus ergò tali ALVMNO *ouans sibi,*
Nihil nisi indolis tuæ

Peracta grato amore FVNERALIA,
GEORGIVMQVE *cogitat*,
PIISQVE *verba cœtibus præit tua*,
Honore ſplendidus nouo,
MINERVAL *hocce pluris æſtimans tuum*,
Aromatum omne quàm genus,
Imaginumq́ue, Funerumq́ue inanias.
At hoc quid inſolens? vbi
SACRO *illa digna* MANIVM SILENTIO
Famelica aure Plebs bibit,
Leporibuſq́ue plaudit ac fauet tuis?
O æmulande nemini.
Tibi IVVENTA *floridos mouet ſinus:*
Tibi CAMOENA *dat iocos*,
CAMOENA, *tritum & obuium ſonans nihil:*
Cui MODESTIA *it comes.*
Beate EPHEBE, *Vere cûi nouo bona*
Tot annuere Cœlites.
Sed & beata Vate te addito ſibi
LYCÆA *noſtra, nec minus*
BATAVIA *omnis*, HARLEMVMQVE, *primum*
Adeptus aërem Puer. [*vbi*
Boniq́ue partem in hanc venire quid vetat
Meum, ô, tuumq́ue LIPSIVM?
Sibi ipſe, mîq́ue gratuletur vt ſolens
Lepôre Carminis tui
Facetiâq́ue. Sed quid hæc ego, hæc ità
Imaginoſa fabulor,

Migra-

Migrationis immemor velut tuæ?
O irritæ Spei moras,
O âſpra FATA, *ô ægritudinis nouæ*
Acerba Suſcitabula,
Neceſſitatis alligata vinculis:
Cui obſequi ambo cogimur.
Bene euenire quam volo ac precor tibi,
Procul BRITANNA *trans Freta*
Tuo abſque CIVE DOVSA, *& abſque* LIPSIO
Iture CANTABRIGIAM.
VALE *proinde (plura non ſinit dolor)*
Abiq; ſoſpes, ac redi.

CARMEN XIII.

AD I. LIPSIVM.

CVI *nouum iſtud imputabimus Melos?*
Cui hoc Poëma muſteum?
Tibíne LIPSI? *Ita hercle verò ſeriò:*
Tibi (inquio) tibi, ô decus
Meum, omniumq́; MENTEM *habere queîs* BO-
*Et eſſe**CORCVLIS *datum eſt.* [NAM,
Siniſtra ritè queîs mamilla ſubſilit,
DEI*ferens* IMAGINEM.
Cape iſtud ergò Iambicum Melos tibi,
Cape hoc Poëma muſteum:
Poëma ductu & alite vnius tuo
Satumq́; & editum ſimul:

*Hoc cognomento honeſtatos Romæ, qui cæteros mortales ſapientia præſtarent, teſtis Plinius lib. 7. cap. 31.

Silentij esse quando longius reum
Pudet pigetq́ me tibi.
Neque vnquam id aequus ille Iuppiter sinat,
Vt his amoris ignibus
Ità anteuortat vlla segnitas mihi,
Fidem ore LIPSIO *vt datam*
Reapse frustrer. absit à Fide mea
Modi istiusce vanitas.
Abesto, verba tertiata cui placent,
Referta falsimoniis.
Nec hocce SVADA LIPSIANA *nos docet;*
Pares cui haud Leporibus
Scientiisq́;sed Fide esse mutuâ
Fauentiaq́ nos decet,
Et ampla Laus sat ista: plura qui appetit,
Neque ille cor, neque os habet.
Tua introire Templa posse sat mihi,
BONÆQVE MENTIS *Abdita*
Nouè reperta noscitare, te Duce:
Tuiq́ cote roboris
Cor asperare, nec periculi vllius
Pauere magnitudinem.
O approbanda MENTIS OBSTINATIO.
O expetenda DOGMATA.
Vt hic suaue, LANGIANO IN ATRIO
Inambulare! vt, ô, simul
Tuo assidere ab ore pendulum iuuat;
Tuo, illiusq́ quem facis

Loquen-

Loquentem! & hinc in HORTVLVM *sequi! or-*
Vt è virente PERGVLA *[dines*
Notare florum: & omne Stirpium genus
Hiante obire lumine.
NOVOQVE *rariora ab* ORBE *Semina*
Sagace nare persequi!
Odor beate, quidquid est Aromatum
Lepore prouocans tuo.
Licétne in hisce flosculis & herbulis,
Remißionis indigo,
(Vti exsoluta mens aberret à malis
Parumper) acquiescere?
Licet: neque istud (annuente hero) modò,
Sed & replere fructibus
Sinum, manusq; vtrasque, & vngue carpere,
Et admouere naribus.
Quid? an lubido serta texere est tibi,
Corollulamq; pactilem?
Rei huius optio ecce plena sit tibi,
Tuo arbitratu vt eligas,
Thyma, an rosas, amaracúmne mauelis.
Age ecce, quantus hîc nitor?
Quis ordo? quàm omnia aptè in areas suas
Locata, tesseræ in modum?
Herínе cultum, an elegantiam prius
Loci ipse mirer, ambigo.
Stupere certè vtrumque cogor intuens;
Herilem at indolem magis,

Cui

Cui scatere tot facetijs datum,
Cui hanc præire SYMBOLAM,
Et ægra corda sospitare ius fuit,
Medentibusq́ pharmacis
Beare. Quæ modò ecce promus imputat
Noua arte Lipsius tibi.
Ahena vt vnde FIRMITVDO PECTORIS
Paranda; & vnde Inertia
Sit ista, & ægra Sensuum imbecillitas,
Habere cognitum queas.
Duplex Boni omnis ergo, seu Mali Caput;
OPINIO, *atque* MENS BONA.
POLI *illa* GERMEN IGNEVM, *aq́* SPIRITV
Originem trahens suam.
Quid? ipse non HOMVLLO *an insitus* DEVS
Per istam IMAGINEM *sui?*
CVPIDINVM, *hancce quisquis audit, omnium*
Necesse VICTOR *audiat.*
At altera illa pars, OPINIO *puta*
Imaginosa, CORPORI
(Sata vnde) adhæret, impedita SENSIBVS,
Grauiq́ fixa perpetim
Luto: cui vsque POENITENTIA *it cómes;*
Vaga, ebriosa, futilis.
HOMO *misella, puluis, vmbra, somnium,*
Quousque fluctuabere,
OPINIONIS *alligate vinculis?*
Quousque GAVDIVM, DOLOR,
Metus

METVS, CVPIDO *pectus impetent tibi?*
Iaces? & erigi cupis,
Supraq; vulgus eleuare verticem?
Idonea ecce FEBRVA,
Quibus piatus ipsa nubila ac Notos
Superuolare possies:
Auesq;, quæ cor intus exedunt tibi,
Necare & ire perditum.
Quiésne cordi, & otium domi tibi,
Procul tumultu ab hostico,
Vbi Actuosus ipso in otio cluas?
(O vnica occupatio!)
Ad HORTVLVM *huncce* LANGII,*ánne* LIPSII,
Gradum capesse, si sapis.
Opúsne vallo & Arce, vel Cetra tibi,
Cauere queîs SPEI *ac* METVS,
Cupidinumq; sustinere vim queas?
Statu in graduq; fac tuo.
Morêre, MENSQVE *vortat ad* DEVM *tua,*
Originem inquio sui.
Quousque CARNIS IMBECILLITAS *tibi*
Molesta; & vmbrâ inanium
Trahêre, prima quæ imperita Plebs putat?
Ducem ecce LIPSIVM *tibi:*
Eum sequaris. At bono cui? inquies.
Mane: in tumultu vt otium
Agas; & vnus, inter arma Publica,
Metu solutus ambules.

Quid

Quid est, quod hîc querare? FATA *te trahunt,*
DEIQVE PROVIDENTIA?
Sequare: Cur enim irritum struas pedem
HERO *rebellis, ac tibi?*
Quid abnuis, misellæ? cede Tempori
DEÓQVE. REBVS OMNIBVS
VICISSITVDO DEBITA. *Hæc mori vides*
Repente, at illa oririer.
NECESSITATI *vt obsequare, te monent*
Tot VRBIVM *Cadauera;*
Ferire visa vertice antè quæ suo
Poli vtriusque cardinem.
Vbi illa iam, imperare sueta REGIBVS,
Superba SEPTIMONTIVM?
Vbi MYCENÆ? *vbi inclyta* VRBS *Agenoris,*
CORINTHVS, ARGOS, ILIVM?
Minuta, magna, summa, & ima respice;
PERENNE SVB POLO NIHIL.

CAR-

CARMEN XIV.

DOMINICI BAVDII Amicorum ALBO inſcriptum.

FAVERE *vt ipſe vis Apollinem tibi,*
Fauere Virgines nouem,
Ità æquus hîc futurus arbiter mihi,
Et huîc celoci opellulæ,
Tumultuante quam calore DOVSICVS
IAMBVS *imputat tibi.*
Merus quidem ille, at impolitus ac rudis.
Quid ergô agam? ecquid improbo
Placere me ſilentio expetam tibi?
At ipſe Carminis mei
Flagrans amore mußitare nos vetas,
Pigraq́ ſuſcitabulum
Lyræ, mihi ALBVM *Amoris obijcis tui,*
Nouelli Amoris, at manus
Cui ante LIPSIANA *luxerit Facem.*
BONVM QVOD, ET RATVM FVAT,
Probentq́ ſæcula vſque & vſque poſtera.
Habes, amice, quod petis.

CAR-

CARMEN XV.

AD NICOLAVM CLEMENTEM TRELÆVM MOSELLANVM.

TRELÆE, *quô me (amabo,) quô rapis, tui*
Amore plenum ? an in iuga
Olympia ista vestra & Aönas specus,
In auia Hippocrenidum
Nouem, triumq́; Virginum cubilia,
Pÿs dicata Vatibus ?
Tibi inquio, tuiq́; pòl simillimis,
Poëtico ore queîs loqui,
Supraq́; vulgus eleuare verticem
Genî ingenîq́; vis dedit.
Relinque, humiq́; reptitare nos sine,
Humi, vnde mî periculum
Ruina nulla quondam, vt Icaro, creet.
Sat, ô TRELÆE, *sat semel*
Tulisse rectum & æmulum polo caput:
Minis neque hosticis modò,
Domesticæ sed inuidentiæ palam,
Nouisq́; rebus obuiam
Iisse. LEÎDA *testis: illa* DÔVSICI
Laboris, illa particeps
Periculi, hinc quod hostica, inde Ciuica
Manu imminebat; vt semel

Equis

Equis, virisq́, terreisq́ molibus,
Fameq́ pressa Ciuitas.
Parùm hei misella, ni Patrum infidelitas,
Lue omni & hoste tetrior,
Patrum salubre consulentium nihil,
Nihil patrantium boni,
Poplum incitare nisa, vt ire proditum
Suosq́ seq́ pergeret:
Datam neque assis æstimare Principi,
Reiq́ publicæ Fidem:
QVATER-DECEMVIRVM *aucta suscitabulis,*
Quibus nocentius nihil.
Ità aridam fame atque pestilentia,
Mala insuper domestica
Propè abstulere, & vrbs, Batauæ quæ prius
Cluebat, in Coloniam
Migrare iussa Celtiberam, & abs suo
Reuulsa membra corpore:
Nisi misertus oppidi sui Deus
Duci hancce firmitudinem
Nouo indidisset, ære triplici mihi
Cor atque muniens iecur.
Iecur virile, quod neque hostico metu
Tot obsidentium minæ,
Litæ'ue melle perduellium preces,
Neque esuritio domi
Pote vlla dimouere de statu fuit.
Soluta donec obsidi-

Sibiq́; Leida restituta denique,
Supina signa, Panico &
Metu illa terga vidit. vnde stigmata
Inusta nomini tuo
Ibere, nulla delitura quæ dies,
Aquis neque aureis Tagus,
Athlanticóve Tethys eluat mari.
At hincce quid lucri mihi,
Recepta, quídve crudo ab hoste, & in fide
Retenta Leida profuit?
Stat illa, nos iacemus: & togæ nihil,
Sagi artibúsve, nil manu
Opem tulisse rebus vltimis iuuat.
Ità in propè assitum mare
Bene ante-facta Liuor omnia Africis
Notisq́; ferre tradidit.
Stupore quò mage attonamur hinc nouo
Fauentiæ tuæ ad iubar.
Iubar salubre, quo neque aura gratior
Serena nauigantibus
Repente, post procellam & Æoli minas,
Batauæ placat æquora.
Ità vnus ergò de tot Aulicis ades,
Bene esse qui velit mihi?
Cui salutis vlla cura DVSICÆ,
Amorq́; MVSICÆ fiet?
Amice magne, quæ proinde præmia
Referre me iubes tibi?

In ære

In ære an esse nos fatebimur tuo?
Fatemur hercle seriò,
Neque, explicando, habere quippiam, huic satis
Quod esse nomini queat.
Tibine DOVSA *par reponat vt pari*
TRELÆE? *nugæ: enim haud ità*
Pudore cassus ille, & immemor sui:
Tibine, ocelle? neminem
Cui anteferre, comparare vix duos
Vel ipse Momus audeat.
Tuis Hymettus ipse stillat à labris:
Tibi ore in Attico sedens
Aglaïa, pectora audientium illicis
Reuincit instar. Et nouum
Videri adhuc cuiquam & insolens potest,
Quod inter intimos DVCI,
SILENTIARII, *additus, geris vicem:*
Quòd esse conscio tibi,
Deditq; Rebus interesse Publicis.
**Monere corda* PRINCIPVM
Suëta PALLAS? *inter iste quos tuus*
Ità eminet VALESIVS,
Minora vt astra Cynthiæ obruit nitor,
Fauente plenilunio.
Operta qui suæ vsque CVRIÆ *tibi*
Patere Sanctuaria
Dat annuitq;: dum BODINVS *interim*
Suo referre PRINCIPI
Paratus

* Minerua enim quasi *Meminerua* dicta, teste Arnobio, siue ἀπὸ τοῦ *Meneruo*, id est, Moneo. Vide Festum.
Ioan. Bodinus, Magister Libellorum supplicũ.

Paratus adstat vsque Supplicum preces,
Vir æquilibrij tenax.
Quem ab aure & ore habere DVX *amat solens,*
Iubetq. cordis abdita
Palam expedire, lætus istiusmodi
Sibi obtigisse NESTOREM.
AVI, *vt videtur, Instituta persequens,*
Gradiq. Regiâ parans
Viâ, Artium Parentis illius boni,
Et omnium Mathematum.
Cui Garumna, Ararq. debet, ac Liger,
Et vniuersa GALLIA,
Scientiæ omnis assecuta quòd RVDEM,
Quòd vtriusq. Linguæ opes,
Vidente, frustrà & inuidente Græcia,
Tuisq. Iule posteris.
Enim ille primus inficetias Fori,
Strophásque inexplicabiles
SCOTI *perosus, & Sophistici gregis*
Imaginosa Dogmata:
Grauissimum ille virus, ac striblíginem
Latinitatis oblitæ,
Fugare, dissipare, & ire perditum
Piamine instítit nouo.
Scholásque rure tetro, & Impolitiæ
Situ, obsitásque sordibus
Sua irrigare luce cœpit, & vicem
Cauillulorum inanium

Meræ

Meræ Eloquentiæ esse Seminaria,
Bonisque iussit Artibus.
Sed hæc fuere: restat ANDEGAVIVS
Modò, HERRICO *satus patre,*
VALESII *ille spes secunda nominis,*
Et, absque FRATRE *pòl foret,*
Tribus sat vnus imperare Gallijs,
Manúque cuncta Regiâ
**Valentibúsque temperare nutibus,*
Abusque Mauro ad hoc mare.*
Auitum vt integrare posset his locis,
Suumq; Literis decus:
Togæ, artiúmque Pacis arbiter, bonus,
Reique bellicæ simul.
Auete magna nomina, imò Numina,
Mero hostijsque Publicis
PIOQVE FARRE *supplicanda Numina,*
Deûmq; Lectisternijs.
Auete re ambo *FRANCI, *vt & Vocabulo,*
Malum ominante nemini:
AVVS NEPOTE *dignus, atque* AVO NEPOS:
Honore Carminum nouo
Sacrandi vterque. qualia aut VALENS *meus*
Præire suetus, aut mero
Ab AVRO *honesta qui gerit vocabula,*
POETA *iure* REGIVS.
Aue & tu, amore dignus Optimatium
Tuæq; fama NEVSTRIÆ:

* Allusum ad Valesiæ gentis nomen.

* Gallia enim ad Meridiem Africæ ex aduerso opposita.

*FRANCI ἀντὶ τοῦ *Francisci* accipiendum.

Germ. Valens Guellius Pimpontius. Ioa. Auratus.

Sacrâ ô polite & alte Virginum manu,
Triúmne Virginum, an nouem:
Opima quâ per arua Lottharingiæ
MOSELLA *labitur tuus:*
Amande DOVSÆ, *amande Belgio meo,*
Neque ANDEGAVIO *minus,*
Tibíne cera tanti & annulus DVCIS,
Tibíne gemma credita?
Beata gemma, sed beatior manus,
Cui hancce ferre contigit.
Profectus vnde nuper in manus meas
PHALEVCVS, *ille qui mihi*
Priore corda soluit ægrimonia,
Noua vndique æthera hunc iubens
Nitere luce. restitutus hinc mihi
Tibi repono, quod tuum est.

CAR-

CARMEN XVI.

AD CAROLVM ROCASIVM I. C.

TACERE, *Musa, quî lubet diutius?*
Rocasio ecce nomine
Et hinc & auris inde vellitur tibi
Manu exigente mutuum.
Bono, optimo imò Iure: nam quæ Inertiæ
Futura pausa denique
Silentiíve? quod trimestre iam fluit
Tibi imputante Carolo.
Fugacis interim instar vndæ eunt dies:
At ipsa adhuc tepens situ
In aurem vtramque stertis, immemor tui
Rocasiíque nominis:
Quod hercle iam explicatum oportuit diu.
Neque hocce LIPSIVS *velim,*
Sciátve VICTOR, *ore ne minus probo his*
Inopsq́; frontis arguar,
Parúmve gratus esse iudicer tibi,
Nouus iam, at olim amor vetus
Future, vita vtrique suppetat modò.
Enim vna CAVTIO *hæc mihi,*
Placere Literarum vt Arbitris queam,
Tibi inquam, & æmulis tui.
Tua esse nam quid indole altius potest,
Forum hocce præter ac Themin,

Tot Artium capace Liberalium,
Reíque Musicæ simul?
TABELLA *testis & modi aurei, in quibus*
Pòl HORÆ, *& ipsæ amabiles*
Manus sibi ter abluere GRATIÆ,
Perennitatis Auspices.
IVVENTA *quos*, LVBENTIÆ *& parens* VENVS
Suo imbuere Nectare.
Auete docta dicta, digna floribus,
Et ambulare per crocum,
Merentis aure non nisi Attica teri,
Quiritiumq́; pulpitis:
Ducenties relecta & amplius mihi,
Trecentiésque. nec tamen
Nouum hocce DÔVSÆ, *vbi vnctius quid obti-*
Ligurientis in modum, [*git:*
Lita ista melle verba & Atticas dapes
Comesse sueto auariter.
Tui quod esse muneris, faterier
Amo omne, gratus ac lubens.
Quid? imò totus imputare me tibi,
Tibi inquam, & æmulis tui.
Quibus, fauens quòd aura me afflet, & virûm
In ore DÔVSA *sit frequens,*
Amor perennè debiturus est meus.
Nihil sed ista, vel parum,
Parum hercle, præ quòd ALBI *honore nos tui*
Beare pergis insuper,

Tuisq́;

Tuisq; nomen inseri Schedis meum
Rogas: pudenter, ah, nimis
Tuo vse Iure. Nam quid (ô modestiæ
Nouum ac ROCASIVM *genus)*
Sequestro, in hocce, GISELINO *opus tibi?*
An, absque Proxeno foret,
Futurus extrà ego ordinem hunc eram tibi?
Puto hercle (quid nî enim id putem?)
Eoq; commodùm impetrabilis nimis
Ad hoc negotium tibi
Repertus OBSES, *vnus instar omnium*
Mihi, altera imò pars mei.
Ita Actor ergò Dôusa ità (inquies) mihi
Repentè factus ex Reo?
Mane, ac remitte Iure de tuo hic parum,
Neque experire Legibus.
Stat, ô, stat imperata persequi tua,
Bonasq; ferre res bene.
ROCASIA'QVE *comitate, dum licet,*
Frui, atque amare mutuum.
Nec occupatus hanc amico opellulam
Dare vnquam Apollo Doûsicus.
BONVM *proinde* FACTVM, *vt hancce Symbolã,*
Fauentiæ Auspicem nouæ,
Mele hæcce, nata panè sub manu mihi,
Libellulo inseram tuo.
Libellulo, vnde Captio omnis, ac vafri
Cothurnus exsulat Fori.

Allusio ad nomen ipsius GISELINI, vernaculo sermone *Obsidem* significantis.

Quod ut reapse factitare me vides,
Ità æquus hic mihi arbiter
Futurus: hoc modo, ipse ut imputes tibi
Malum istud omne, quod vides.

CARMEN XVII.

AD NATHANEM CHYTRÆVM, POETICES in Academia Rostochiensi Professorem.

CHYTRÆE, *auere* DOVSA *te iubet tuus,*
Facitq; mutuum. Hei mihi,
Rogare si, qui & unde DOVSA *sim, paras!*
Abhincce, qui, triennium,
SALVTE *iussus esse sanior tua.*
SALVTE, *qua papyrina*
Licet, fidele testimonium tamen
Tui in me amoris affatim,
Et æuum in omne redditura posteris:
Meri inquam amoris. Interim
Quot absque fruge perdita æquinoctia
Per oscitantiam mihi?
Quot ægritudo, quot mihi aureos frequens
Morator abstulit dies:
Hic artibus Fori, ille pipulo minax,
Amystide alter? Hei nece
Mihi omni, & hoste pestilentius malum:
Cui coactus, ac struens

Pedem,

Pedem, huc quidem vsq; pertuli obsequi tamẽ,
Et obsequutus haud semel.
Ità heu iuuenta, parsq; carior mihi
Perire iussa temporis;
Tibi, aureoq; danda Hyantidum gregi,
*(*MONETA *quas dedit Ioui)*
Tuoq; Fratri, & eius ordinis Viris,
CASELLIÆQVE *Palladi:*
CODANA *quâ plaga Arctica obiacens* RHO- ROSTOCHIVM.
ROSIS *reuincta verticem,* [DOS,
Theatra vestra, VARNVM, *& omne* BALTHI-
Sacris replere odoribus [CVM
Oloribusq; iam inde visa, quùm recèns
SCHOLA *hîc dicata primitùs.* Academia
Ope inde quam suâ vsque, & auctibus nouis, Rostochiensis
Stipisq; dignæ honoribus instituta
Beauit alma Faustitas, & HERVLA anno.D.
Pia orta Largitas DOMO, 1419.
Et inuidunda REGIBVS *benignitas*
MEGAPOLENSIVM DVCVM.
Vbi ipse Doctor, artifexq; Carminum,
CHYTRÆE, *Musico gregi*
Lyræ'ne vi (instar Orphei) audientiam, Vinnulum
An ore vinnulo facis? censiloquum, id
Vtroque: FRATRIS *ire dum viam est tibi* est, illecebrum. No-
Cupido, FRATRIS *illius,* nius. ex
Cui hinc GOTHA *ora debet, inde* VANDALA, Plauti Asinar.
Quòd in quiete & otio

Agant;

Agant; neque vltrà Opinionum inaniis,
Quasi in Mari æstuent suo.
Melósne vult Apollinare quispiam?
Lyræ ipse præses, an NATHAN
Canens lyra audiatur, interest nihil.
Ità arte Carminum pares.
Pedestris alter Eloquentiæ genus
Amat? quid? ipse TVLLIVS
David Chytræus. CHYTHRÆO, *Athlantis an disertior nepos?*
At hoc loquente nec Lepos,
Neque hiscere ipsa opinor audeat Venus,
Pudore muta scilicet.
Gemelle DAVID, *& gemelle* DAVIDIS,
Petrus Memmius Medicus. *Vidésne, vt ore* MEMMIVS,
Manuq́, plausum vtraque CLINGIVS *tibi,*
Ioan. Casellius. CASELLIVSQVE *consonent?*
CASELLIVS, *cui Eruditio mera,*
M. Terentius Varro in Menippeis. Adde ex Vet. Glossis: *Nauities*, ἀρετή. SAÏSQVE *cordi & otia,*
Nec vsitata NAVITATIS ATTICÆ
ALVMNA CANA VERITAS.
Tibi, AVLA, *notus olim &* HERVLO DVCI,
Atridæ vt ille Neleï.
Cui huic placere cura non sit Ordini,
Cui haud referre mutuum?
Mihi profectò nuntio hoc lubentius
Pote euenire nil fuit:
Nec vlla lecta lætiore res oclo,
Neque vnde pulchrius mihi

Putem

Putem fuisse, quàm POEMATE *à tuo.*
O aurea alloquutio,
TABELLVLÆ'QVE *gemmeæ, haud Papyreæ,*
Quibus me adire primulùm
Tua orsa MVSA. *quam insequuta protenus*
CASELLIANA *comitas.*
Meo quidem illa LIPSIO, *atque* GRYPHIO
Tuo imputata; cæterùm
Neque orba mentione nominis mei,
Neque absque honore DOVSICO.
Honore, parte quem nisi inuicem ex mea
Amare porrò mutuùm
Amem, ecqua caussa, quin malè vsq; sit mihi?
Malè, imò peius in dies:
Vel vsque eò hercle, dum miserrimus fuam,
Decuriâq; nos suâ
Cupido, Cypris, exigantq; Gratiæ:
Iugiq; Sanctuariis
Bifrontis Æsculapij arceat Parens,
Nouemq; rideant Deæ.
Quid ergò caussæ, ità improbè silentium huc
Quòd vsque fouerim, rogas? Tmesis, prò *Hucusque.*
Stupor, veternus, ingeniiq; segnitas,
Et illecebra Inertiæ.
Quâ, vti sopore, mens gelata, MEMMIO,
Probo vsa more, gratias
Tuóque FRATRI *habere negligens fuit:*
Mihíque gratularier,

Quod

Quod vtriusque comprobata calculo
Thalia constitit mea.
Cui rei esse testimonio SCHEDÆ,
MANVSQVE VORSTII *queat.*
Mei tuiq; VORSTII. *vnde certior*
Et illa,& hæcce redditus,
Quòd ipse dignus æstimatus insuper,
CHYTRÆE, *vestra quem* RHODOS
Recudere haud grauata, & ire subditum
Typis secundò aheneis.
Parùm ergo nostra consequuta nominis
Camœna, ni nouâ insuper
Celebritate BALTHICVM *impleat Mare,*
Nouißimosq; Sarmatas?
Beatiorum ô omnium quod vspiam est
Apollinarium Virûm,
Beatiusne NORDOVICE *quippiam,*
Vel esse lætius potest?
Logi. vnum at illud est molestiæ mihi,
Ità hos pigrante quod manu
Remunerare, nec referre tempori
Tibi, occupauerim, vicem.
Leuis neque hicce cor aculeus mihi
Nocente vellicat metu,
Mea ista sera Pœnitudo ne siet.
Mane, vniusq; noxiæ
Mihi huius, (oro,) fac CHYTRÆE *gratiam,*
Vt impetrabilem sinas
Abire.

Abire. Summa cantionis hæc mea est,
Placebo creditoribus
Meis, tibi, atque FRATRI, *vt arbitror, tuo;*
Placebo MEMMIO *meo,*
CASELLIÓQVE, *copiam Reo modò,*
Inertiam hancce si mihi
Nouæ expiare diligentiæ vice,
LYCÆA *fecerint tua.*

CARMEN XVIII.

AD BONAVENTVRAM VVLCANIVM,* GRÆCÆ LINGVÆ in ACADEMIA LEIDENSI PROFESSOREM.

IAMBICIS *merentem adire te meis*
Cupido pluries fuit:
Nec vnquam hic (audiete FASCINO *id loquar)*
Resedit impetus mihi:
Sed obstitere plurima ausibus meis,
Onus laborq́ primitùs
Rei, ipsiúsque Carminis necessitas,
Iniqua nomini tuo,
Eò vsque, tale si quid aggredi velim,
Agendum vt ambitu siet.
Domi deinde cura, auara LIS *foris,*
Querelæ vbique Publicæ,
Molestiaq́, quæ diem, nec horulam
Quiescere hoc caput sinunt.

* Nota, Vulcanium nostrati idiomate *Fabrum* sonare; cuq́, potissimū Carminis istius partem trahi oportere.

Hoc est, verborum circuitu, seu Periphrasi ītēdum.

Satin'

Satin' peracta cauſſa Inertiæ? ſatis.
Super modò eſt, vtriſque quod
Vides periſſe, perditum vt putes; ſimul
Styli hancce parſimoniam,
Noua vtq; comitate ſarciam tibi
Data ante damna Temporis.
Nouem vacare nunc velim Deas mihi,
Eburneæ arbitras lyræ:
Vt, ô, referre debitas vices tibi
Queam; audeamq; gratias
Habere tandem IAMBICIS *ſemel tuis,*
Meris, putis IAMBICIS.
Niſi quòd abs te ea addita vna CAVTIO
Iis, pedem vltimum vt trahant;
Verente, ne parùm hercle MVLCIBER *fores,*
Cui apta claudicatio.
Ità eſt pol; ipſus integro licet pede
Vtroque rectus ambules:
Parente docto & elegante doctior
Venuſtiorq; filius:
Nec in RVBRICA, *vt alter ille*, LEMNIA
PITHECÎ *alumnus vbera*
Ferina paſtus; at biuertice in iugo,
MONETA, *creditus tibi:*
Tuoq; lacte fotus; & ſimul tuo
Linine, an Orphei parens;
An vtriuſq;? quem modò editum recens
Sinû applicauerat ſuo.

Tmeſis, prò *Super-eſt.*

Iocus in B. Vulcanij Scazontes huicce operi præmiſſos.

Rubricam Fabrilem notat, cuius ferax cumprimis *Lemnos*, vbi Vulcanum à Siniis enutritum fabulantur Poëtæ.

Moneta, eadem quę *Mnemoſyne* Græcis, à *Monendo* ſcilicet.

Leuana:

LEVANA: *cui, simulque natus ac fores,* Vide Augustinum.
Vterque riserat parens:
Equiq; Fonte toto HYANTIS *abluit,*
Madere flore Nectaris
Dedit IVVENTA; MENSAM *vt hinc* DEVS, DEA GENIVS, ac IVNO.
Cubile sterneret suum. [*hinc*
Neque illa sola: claustra sed sinus tibi
MINERVA *sponte solueret,*
Diu obserata, operta LEMNIO *diu,*
Tibi inuidenti, & æmulo.
Cui iste fumus acriore lumina
Ferit dolore, quàm grauis
Ab ore qui Typhæïo æstuat vapos,
Cyclopicisq; follibus.
Ità ille claudus, & malè altero modò
Pede æstimatus vtier;
Vtroque nunc & orbe luminis propè
**Strabo ecce redditus tibi.*
At ille ferrum in igne MVLCEAT, *sine;*
*Neq; inuideto**NOMINI,
Tenace dum æra versat vsque forcipe,
Chalybdicasq; laminas:
Modò ipse corda blandus audientium
Lepore MVLCEAS *tuo.*
Vti, id quod ille nomine, ipse re cluas.
Clues; neque esse, quod cluis,
Reapse, spero, MVLCIBER *grauabere;*
Suäda & ore, præ hoc proco,

*Sic Varro: Multi, qui limina intrarunt integris oculis, *Strabones* facti sunt, &c. Vide Dôusici in Horat. Commentarioli Cap. 3.
**Mulciberū* enim à mulcendo, id est, molliendo ferro, dictum videri volunt.

Beate pòl, MINERVIÍSQVE *Nuptiis*;
Beate DOTE. *Dos vbi*
Sit ista, quæris ? IPSA DOS SCIENTIA,
SIBÍQVE CONGIARIVM EST.
Ità ergò parua visa res tibi, sua
Quod arma, & hastam, & ÆGIDEM
Vacare iussa, pignoris loco, ad LARES
THOLÓSQVE *fixerit tuos.*
Ità assis ergò te putare singula,
Quòd abdita ARCIS, *ac sui*
PEPLI *patere Sanctimoniam tibi*;
Opumq; Linguæ Achaïcæ,
Et ARTIVM *tot esse diuitem dedit*
MINERVA? *non quidem à* MINIS,
Sed à MENERVO *dicta*; *tempora hinc tibi*
Et inde suèta vellere,
Et admonere, quid patrato opus fuat,
Simulq; honestum & vtile.
Abi, ac superbus in DEAM *esse desine,*
Tuæq; parce supplici
Placens amator: & quis esse lætior
Venustiorq; te potest ?
DEI DEÆQVE, *quidquid est, student tibi,*
Teguntq; & hinc & hinc latus,
APOLLO, LIBER, *ac* NOVENSILES DEÆ,
IOCVS, CVPIDO, MENS BONA,
Scueritate temperata Comitas,
Salubritasq; corporis,

Vide quæ ad oram pa.51.suprà prætexuimus ex Festo.

Musas cognomento NOVENSILES inuenias apud Arnobium.

Viragi-

Viraginumq́ TRIGA, cûi VENVS præit
Præstq́ Sancta: quam mihi
Nefas silere; res enim hæc agit tuas.
Agit; neque vngue longius
Ab aure & ore segregare se tuo,
Vel abdicare sustinet.
Opus Fabrile, LEMNIÓSQVE malleos,
Mariti & imparem gradum
Palam exsecrata, tædiumq́ non volens
Valénsve ferre longius
Thori iugalis. idq́ iure: nam quæ ità,
(Rogo) inficeta, prò stylo
Vti silente, plumeaq́ cuspide
Cycni anserísve; stridulo
LACV *æra tincta, folliúmve flamina*
Frequente fracta marculo,
Tot ictibusq́ quassa amet cubilia?
Vt indecente prò viro;
Canina farra, cæpe porrò & allia,
Opusq́ Fabricæ, & Foci
Olente busta semper, áque follibus
Recèns calente perpetim;
Amationis inscio omnis ac Ioci,
Et Artium elegantium:
Nihilq́, præter hancce Sellulariam,
Tenente; qua famem fuget:
(Caputq́ quod rei) Exule, INSVLARIO,
Sene, oscitante, murcido:

Vide Nomenclat. Iunij in voce *Insularij.*

Amasium recuset, ora cuî nitent,
Virentq; genûa, strenuum,
Catum, optimeq; rem gerentem, amabilem,
Et affluum Leporibus
Scientiisq;? Quæ've corde sic hebes,
Nepotis vt Dionei
Vicem aut PHAONIS, *horridum atque squali-*
Nigrore fumeo caput, [*dum*
Scobe, igne, puluere, obsitumq; sordibus
Præoptet, aut legat sibi?
Neque hîc timenda curiositas tibi,
Seueriórve quæstio:
Sororijs quòd asperata nuptiis,
Malum datura pellici
*Id est, Coryphæus, siue circũspectator cum oculis emissitiis. MINERVA. *nullus hic molestus* arbiter,*
Sagena nulla, quæ thori
Operta, Dîs videnda detegat palam,
An inuidenda? Fabulæ
Nouæ vnde caussa risuumq; suppetat,
Amica Sannionibus.
Patrata scimus ista saclo adhuc rudi;
Nec absque pœnitentia
* Hoc est, mariti Veneris, ac Solis. *Viri, Indicisque. nunc ea æmulatio*
Abest; & absit à tuo,
Precamur, vsq; amore. Quid nouũ, aut graue?
Et hoc datum ignibus tuis
Fatentur omne, VERTICE ORTA PATRIO,
DIONE, APOLLO, *tres* DEI:

Tibi

Tibi, ô, perenne debitura nomina, Nomina, prò *Debitoribus.*
Quod inter ipsum, & has duas
Nouè instituta, te Sequestro & Arbitro,
Amica copulatio.
BEATE *Sponse, comparare se tibi*
Amantium quis audeat?
Tibi ipsa FLORA *dædalum explicat sinum,*
Facemq́ lucet ALIGER,
Et alâ vtrâque ventulos facit leues,
Flabelli obire amans vicem.
Tibi ora mellis Attici imbuit fauis
**Magister Eloquentiæ.* *Mercurius.
FABER BEATE, *se Deûm quis, aut virûm* Allusum ad vtriusque, tam *Vulcanij,* quàm *Bonauentura* vernaculá nominis significationem.
Tibi anteferre postulet?
Cui Officina dites, haud rei quidem
Fabrilis, at Librariæ.
Domi vnde mille, credo, Codicum tibi
Voluminumq́ copia,
Manu exarata, non typis. Libros enim
*Referre**FORMVLARIOS, *Hoc est, Prælo, æneisque formis excusos.
Idem sit, atque Censione si mea
Parem astra comprehendere,
Niues, arenam, apumq́ multitudinem
Liguriuntium thyma
Fauente Vere, per roseta Cecropis,
Et exstruentium fauos.
Quibus perinde, nec secus frui ac meis
Facisq́ dasq́ copiam:

 Velutq́

Velutq́; CELLA PROMPTVARIA *hæc mihi eſt,*
Quid? imò CORNV AMALTHEVM.
O Officina digna floribus tegi
Cupreſſeiſq́; ſcriniis;

* Ad Perſium Lucilianũ hoc ſpectat; ad M. Varronem, & L. Stylonem, quod ſequitur.

Cedro linenda; tot referta * PERSIIS,
TERENTIIſQVE, *&* ÆLIIS:
Tot acta, dicta, cogitata continens,
Iocoſa, ſiue ſeria;
Sacra, an profana; CASCA, *ſeu recentia,*
Data optione, quis velit:
Latina, Graia, Celtica, aut Iberica,
Fodina iugis hîc tibi.

L. C. I. C.
* *Libraria,* pro Bibliotheca abſolutè vſus Gellius.
* Guiliel. HAEDA Vltraiect. Rerum Scriptor; item bona pars Poëmatum Buchanani, necdum publicata.

Nihilq́; , læua nulla & vnca ſit modò
VIBENNII *comes tibi,*
Hero ſciente, fruſtrà amicus expetes.
Tabella quippe liminis
Vtroque poſte DOVSÆ *& omnibus bonis*
Patere iuſſa. rem vide,
Profecta tanta totq́; commoda hactenus
Ab hac * LIBRARIA *mihi.*
O omnibus recluſa liberalitas,
Nouena quos amat cohors?
Minora narro: grandius Manus mihi
Iuuamen attulit tua.
Rei huicce Teſtis * HÆDA VATE CVM SCOTO,
Is HÆDA, *cuius optima*
Mihi hercle pars labore conſtitit tuo,
Stylo edolata quàm FABRE!

* Ad FABRI, hoc eſt, *Vulcanij* cognomẽtũ alluſum.

O expo-

O expolita Scripta, ô artifex Manus.
Neque illa adhuc satis tibi,
SACER *nisi mihi atque nomini meo*
DATVS DICATVS *insuper*
POETA, *dignus ille* BATTO AVO NEPOS
Legatur, hostis IBIDIS:
TOGAM *hancce comparare* PALLIO *haud ru-*
LATINA *dicta* DORICIS; *[bens,*
Neque hæc minoris æstimare quàm sua,
Neque anteferre se tibi.
Tui hoc, tui omne munerisq́ & ingeni,
O erudite MVLCIBER:
Tua artis; & tibi huius ergò debitor
Boni esse DÔVSA *non negat*
Volens fauénsque; tale sed merens nihil.
Enim hæc merere qui queam?
FABER BEATE, *qui puellulus nouem*
Tribusq́ septus ambulas;
Tibi hócne NOMEN *alma* FAVSTITAS *dedit?*
Tibíne mater aurea
CVPIDINVM? *expolire cuncta quòd fabrè*
Tua, affabreq́ mos tibi:
*BONA *esse* SCÆVA *quòd putere; fòrs cui*
Repentè factus obuiam:
Et omnia inchoata sub manus tibi
Secundet ipse IVPPITER.
Vt vt sit; ore sæpe, nec minus Lyra
Canêre: sæpe NOMINIS

Callimachus à B. Vulcanio Latinus factus.

* Vide Festũ, in voce SCAEVA.

Tui vim ad astra ferre plausibus nouis
Meam docebo VELSIDA.
Frequens cui arborum exaratus in libris
Legère falce DOVSICA.
*Legère, vt, aura** *sæpe quàm hortulos meos*
Repleuerit Fauonij,
FABRVM *Pyreta*, MVLCIBRVM *vt crepent Nu-*
*Roseta** PROSPERVM *sonent.* [*ces,*
Quod & Viantium insusurret auribus
*Mei** CREPIDO *Littoris,*
Malum minante & ominante nemini
VOCABVLO *hoc ouans sibi.*
*IMAGO *te* IOCOSA, *te* HYMNIDES *canent.*
At ipsus interim hoc meo
Honestus, imò MACTVS ESSE *Carmine;*
Fideliterq́; PATRIVM
Tuumq́; NOMEN *obtinere pergito;*
Reapse dico, non logis.

* Prò, *Quàm sæpe*, per Metathesim.
Mulcibrum, per Syncopam, Vet. Poëtæ exẽplo apud Cic. 2. Tus.
* *Prosper*, idẽquod *Bonauentura.*
* Ad *Crepidinis* etymon allusio.
* ECHO.

FINIS.

IANI DOVSAE

EPODON

LIBER

II.

HADRIANVS IVNIVS

IANO DOVSÆ SVO S. D.

IAMBOS tuos non maledicos quidem illos, & ἰὸν βάλλοντας, sed medio de fonte leporum natos, sed Gratia & Venere affluentes attulit mihi tabellarius tuus modò, mi Dousa: qui me delibutum, at non expletum saturatumque reddiderunt, pungant licet semel, sed vulnere non acerbo, quale impresso fugiens aculeo relinquit apis; sed cuiusmodi punicea Rosa, dũ festinam virginis rapta sequitur manum, solet apprimere. Quàm vellem Hygiæ Æsculapij filiæ vicem explere potuissent, vt pristinæ valetudini viribusq. redditus, Pegaseo efferri volatu ventorumq. æquare cursum valuissem; sic nostram haud impunè fidem accusares. Sed extrà iocum, febriculæ superiore Martis die valedixi, quem extremum mihi omnes male ominabantur. cum tussicula interim mihi non rectè conuenit, quæ litem in rem suam vertisse videtur. Si tamen contingat currum nancisci, qui Nordouicum (quod diuerticuli loco nunc habent & fugiunt aurigæ) petat, non dubitabo aduolare, exsoluturus me fidei religione. Raptim Harlemo, Salutem officiosè vxori & Moro suauiss.

IDEM AD IAMBVM SVVM, VT ABSTINEAT AB AEMVLATIONE DOVSAE in puris condendis Iambis.

IAMBE laxa quidnam habena te citat?
Feróxne carceres tibi
Datos refringeres, noui & sub aleam
Te agonis insolens dares?
At arte cede; iam minorq; DOVSIAM,
CATVLLIANAE *vt æmulam,*
Cameto velle vindicare gloriam:
Pudore victus abstine.

IANI DOVSÆ
EPODON
LIBER II.

Ad Cl. virum Georgium Ratallerum Vltraiectini Concilij Præsidem.

ADESNE *tandem, adésne ciuibus tuis,*
Vir optime atque maxime,
Rei subire publicæ periculum
Paratus omne proprio?
O aureum bonis ad vnum, & omnibus
Tuis-mihiq; nuntium.
Iuuat videre carum Apollini caput,
Palamq; sciscitarier:
Quis, ô, Deûm, quis inuidere Græciæ
Cor impulit tuum furor?
Sophocleumq; Romulo nemus pede
Quiritibus recludere?
Inhospitale longa quod dies diu
Putrisq; fecerat situs.
O ause primus orbe nostro Achaïcum
Iter Togatus ingredi:
Themináq; primus ause fratre cum suo
Nouis ligare nuptiis,

I

Solo-

Solonicisq́; temperare Legibus
Chelym decenter auream.
Superbe Dele, Belgici Caput Fori,
Tibi hæc fuisse cognita
Et esse constat vltima ex origine:
Tuo Senator in sinu
Ebur Curule preßit, & clientibus
Vbique captus arbiter,
Nouis diremit aucta litium strophis
Pari bilance iurgia.
Quot hîc, quot ille vota sæpe Publica,
Quot, ô, Togata munia
Obiuit, exitusq́; duxit ad bonos
Genî sagacis alite!
Sed hæc prius fuere, nunc in Vtricum
Agit nouum vrbe Præsidem.
Beate Rhene, profer aureum caput
Reconditis cubilibus;
Tuumq́; gratulare Vindicem tibi,
Fluente fronde tempora
Reuinctus. ipse carmen hoc ego nouum
Nouo dicabo Præsidi.
Meiq́; si quid audiendum Iämbici,
Suäuiúsve quid sonent,
Eidem & illud omne Præsidi meo
Libenter imputabitur.
Epos Maronis, & Poëmatum minas,
Homericosq́; spiritus

Iis

Iis relinquo, queîs Apollo tempora
Suâ impediuit arbore,
Tibi, virisq́ mentem habentibus tuam,
Sed ante cæteros tibi.
Mihi nec vndæ adire Thespiæ lacus:
Nec esse Musico datum est:
Vt inuenire dignum honore quid tuo
Tuísve laudibus queam.
Quid? otio ergo abutar, & silentio
Placere me volam tibi?
At hoc Cupido comis iste non sinit,
Cupido, qui ante cæteros
Serena templa mentis expetit tuæ
Nouem in Deabus vrere.
Abutar ergô, vt anteà, auribus tuis,
Molestiæq́ nescio.
Quid exhibebo, non vt Arbiter meis
Studere partibus velis:
Nec vt benignus ære nos iuues tuo.
Quid ergò flagitem, rogas?
Tuos vt inter obtinere me sinas
Nouißimum precor locum:
Sat, ô, nimisq́ (per Deos) beatulum,
Vel ore si legar tuo.

Ad Ha-

Ad Hadrianum Iunium.

SATIN' *parum hæc amœnitatis in se habet,*
Satin' parum Lubentiæ
Agunda vita, præ quàm acerba quæ cadunt.
Ità ordo siderum iubet;
Ità vnicuique comparatum in hoc Chaö,
Lubentiam vt ferè comes
Sequatur vsque maior ægrimonia.
Id ipse de me enim scio,
Cui hoc parumper hoc datum à Diis boni
Videtur esse, dum mihi
Habere copia, Hadriane, te fuit,
Diem vnum & alterum modò.
Quid, heu, maligna non potest breuissimi
Vicissitudo temporis?
Abite ab ore iam facetiæ meo,
Abite corde gaudia,
Et omne quidquid est domi Poëmatum.
Abiuit ecce Iunius:
Abiuit, hinc profectus Harlemum procul
Nouena ad vsque millia.
Miselle Dôusa, non erit, quòd amplius
Eo fruaris hospite.
Miselle Dôusa, non erit, quòd amplius
Referre te iuuet vicem
Capaciore prouocatum Amystide,
Proïnde vt hospes assoles.

Abiuit

Abiuit ille, nec ſuperbus hoſpitam
Decuſſis æſtimat fidem.
Quod, heu, quod ore crimen excidit meo?
Omitte muſa conqueri.
Redire namque Iunius meus mihi
Redire dixit hoſpitem.
Redire dixit, inſcioq́; ſe mihi
Breui repentè ſiſtere.
Repentè, ne quis ante fortè nuntiet
Meum venire Iunium.
Beate Doûſa, quid morare gaudio
Onuſta ferre pectora?
Tuis ſubibit ille iam penatibus,
Penatibuſq́; carior,
Ab ipſo adeſſe miſſus hoſpes æthere
Videbitur Deus tibi.
Vt amplioris interim huc feras modi
Memento, mi Puer, ſcyphum.
Nec ante verſa proniore fac manu
Hero Falerna temperes.
Videndi, ocelle, te iuuat cupidinem
Leuare flore Liberi.

Ad Phi-

Ad Philippum Morum.

PHILIPPE, *non ego ire nunc comes tibi*
Ad Vtrices meos nego,
Episcopale quâ pererrat oppidum
Liquente Rhenus agmine:
Maligna quo duce arua Mauritaniæ,
Vbi vnda semper æstuat,
Nec-hospitalis acre Caucasi gelu
Perambulare nos iuuet.
Per alta, quo docente me viam, freta
Minacis Hadriatici,
Tibiq́ visa Regna, quâ Tagus mare
Vado colorat aureo,
Vel Orbis vsque ad vltimos sinus Noui
Eam hercle lætus ac lubens.
Neque vlla vota Diîs Vialibus feram,
Deûm sed ipse Nuntij,
Vialis instar ipse sed Laris mihi
Vbique Morus audiat.
At obstat, heu, molesta res nimiŝ, Forum,
Nec vlla perdito quies
Adest. Ità vsqquequaque Litibus nouis
Laboriosus enecor.
Ità hinc & inde vim creat negotij
Mihi sibíque Mæuius,
Quid vsus ergò tot minaciis erat?
Quid attinebat, inquies,

Futurum

Futurum, inepte, deierare te mea
Profectionis asseclam?
Vt ipse nempe te, tuaq; sic frui
Sodalitate possiem:
Simulq;, mecum vt esse plusculos tibi,
Proinde vt hospitem decet,
Dies liberet. hócne crimen, ô bone,
Potes vocare? morus es
Profecto More. crimen esse non potest.
Tibi hoc vt esse dem tamen,
Amoris esse crimen, & quidem optimi
Negare More non potes.

Ad Georgium Ratallerum.

QVID hoc, quid accidisse sensibus meis
Repentè suspicer noui?
Ego ille Dousa, qui prius Sororibus
Renuntiaueram nouem,
Receperamq; nil mihi amplius rei
Nocente cum choro fore:
Modò en reductus idem Apollini meo
Resumere in manus chelym:
Furo, lubetq; nil nisi Poëticum,
Supraq; cæteros loqui.
Ita est: Lepore pectus incitor tuo,
O Imperator vnice,
Et idem Apollo noster, in tuum procul
Abire me iuuat nemus,

Nec vsitata calcibus meis iuga
Fauore persequi tuo.
At ipse quæso Pegaseïum mihi
Sonare posse da melos:
Mihiq́ dic, honore quo puellulum
Sub antra duxeris sua
Thalia? quo viam institisse te pede,
Quibúsve copiis putem?
Adhuc vt irreperta quæ iacet mihi,
Queam videre semitam,
Et integros adire fontium lacus,
Tibi tuisq́ cognitos.
Canore te Poëta tunc ego nouo
Virûm per ora differam,
Aquæ paratus omne quidquid est Sacræ
Hiante fauce ducere.
Pares referre quô tibi ampliter queam,
Ità vt merere, gratias:
In ære Musa scripta nam mea est tuo;
Nec expedire se valet:
Et experitur illa versibus tamen
Tuis vicem rependere.
Sed, ô, sed erro: non nisi, quod eius est
Tibi reponet. Imparem
Vides manum, vides iniqua carmina,
Amica sed tamen tibi.
Reuolue quæso, quas amas, ineptias
Iämbicantis ingeni.

Ità ille magnus Æsculapÿ parens
Ope vsque te iuuet sua;
Tibiq́ cum dolore dehinc pedum nihil
Sit amplius negotÿ.

Ad Emanuelem Hieronymum Medicum Lusitanum.

M EIS, *Patrone, non tacende Versibus,*
Tuaq́ flos Iberiæ:
Mihiq́ Rege Lusitania nihil,
Cui subesse amas, minor:
Iambus iste noster, ad tuas iter
Habere quem vides manus,
Lepore captus Eloquentiæ tuæ
Dicare se studet tibi.
Quid obstupescis, ô Medentium decus?
An obsecro id nouum tibi?
At ipsum & ante, (nam negare non potes)
Libellus ausus est meus.
Beatus ille sorte ter quater sua,
Cui te habere vindicem
Dei dedêre. Nam quid? absque te foret,
Araneosus hunc situs
Adhuc haberet, anxiusq́ Iudicum
Timeret ora, qui vnius
Tuo fauore nunc superbus ambulans
Tagum Albulamq́ prouocat.

Sed hæc minora, præ quòd hospes insuper
Adesse pactus es mihi.
An euenire posse lætius mihi,
Lubentiúsve quid putas?
Fugit te inique: nil mihi hercle gratius
Erit: nec hoc ego modò,
Sed & te Iämbus ecce flagitat meus,
Suo meoq́ nomine.
At ipse stagna Curiæ, & Nemus libens
Fac Hagiense deseras.
Et hîc habebis, esse quo satur voles,
Et apta gustui hîc tuo
Trahes Falerna. Quare age hospes ad mare
Venire Nordouïcium
Citus memento: Vel si id esse fors tibi
Videbitur procul nimis,
Sequente luce Falkeburgicum ad Forum
Mihi dari obuiam potes.
Libenter hoc & omne gratiam in tuam,
Bona ad te iturus alite,
Viæ vorabo. non vt annuum meis
Peculium ex Equis traham:
Nec vt bibace cum Sodalium choro
Eam Falerna perditum:
Sed vt Lepore pectus explear tuo,
Facetiisq́. nil Deos
Meos, facillimeq́; agentem amiculum
Suprà lacessos, sat mihi.

Super-

Superq́; diues, ore quòd legor tuo.
Peculio quod annuo
EQVIRIISQVE *præstat omnibus mihi,*
Et ebrius sodalibus.

Ad Cornelium Laurimannum.

POETA *melle dulcis Attico magis,*
Meum remitte Laurimanne ius mihi,
Quod inuolasse nunc videris, & palam
Habes superbus oppidò quasi tuum:
Silentioq́; parce, parce Doûsico.
Apollo namque, noster ille qui fuit,
(Pudet referre) noster esse desiit,
Tuusq́; factus hinc repentè transfuga est.
Sed, ô, superbe Laurimanne, non vides
Tibi imputandum id omne, quidquid est mali,
Iämbicisq́;? tàm seuera quos tibi
Cata peregit arte lima, quàm nouum
Quod expoliuit vngue Phydias ebur.
Eos Apollo quum probasset, & ratum
Ter edidisset ore, ter manu sonum,
Vale vltimum, vale, (inquit,) vltimum mihi,
Repentè, Dôusa; meq́; res meas mihi
Habere iußit. Ex eo Hippocrenia
Procul cohorte, Thespio procul iugo
Apollinaris ales esse desij,
Nihil meopte Marte & arte non gerens.
Ioca ista credis esse? seriò iocor.

Vides Iämbus hic vt ipſe claudicet,
Pedémque, Laurimanne, diſparem trahat.
Negabit ergò ſemper ille ſe mihi?
Nec in biuertice amplius cacumine
Choris licebit intereſſe Muſicis?
Faceſſat omen hinc, faceſſat & timor
Amore victus ire præſtat in preces,
Et ominata rite verba, queîs mihi
Proteruus ille mox retractus è fuga
Domum redire diſcat, & focos ſuos
Tueri, vt ante. proîn & ipſe paululum
Remitte iure, Laurimanne, de tuo:
Apolliniq́; me, mihiq́; Apollinem
Meum relinque. tunc canore te nouo
Tuamq́; Lauream, obuium nihil ſonans,
Virûm per ora, Laurimanne, differam:
Apollinemq́; te fatebor alterum.

Ad Ge-

Ad Gerartum Falcoburgium.

ITA vsque donet esse sobrio mihi,
Bonumq́ dictet ex mea lubidine
Apollo carmen; vt fuit volup mihi
Tuarum, amice, literarum amabili
Frui lepore, pessimaq́ crapulæ
Malum leuare, quam diebus his mihi
Tricongiana contulit benignitas.
Habere namque dum bene hospites volo
Domi, pedemq́ ferre cum Pholis iuuat,
Mero impotente vicit obrutum citò
Frequens amystis. hîc statim omne Bacchico
Mihi vapore dissilire sinciput,
Ità vt cerebrum habere mî Puerperi
Iouis viderer: vsque donec auribus
Tuæ intulere se meis Tabellulæ,
Mihi Lepore quæ suo illicò grauem,
Quasi flabella, dispulere crapulam.
Refectus ergò, Falcoburge, maximas
Grauissimasq́ gratias ago tibi.
Nec hinc recuso, si madere denuò
Fuat libido, quin identidem nouo
Styli lepore crapulam leues meam.
At interim valete, abeste vos procul,
Et hinc abite maximam in malam crucem,
Molesta turba, quotquot estis, ô Pholi.

Ad Cornelium Laurimannum.

PARVM *hoc, parum malæ est rei, quòd indies*
Honestiorem honore me facis nouo,
Ioannes Secundus, & Petrus Lotichius Secundus.
Nisi SECVNDO *ab hoc, & altero insuper,*
Secundus alter esse iudicer tibi?
Egón' secundus ius? quibus nouem nihil
Deas negasse, vel sub arbitro Mida
Nec ipse Momus ausit infiterier?
O ars egena veri; ô usque vanitas
Poësi amica! si vel Actius forem,
Vel ipse Cotta, quî magis queas mihi
Honorem habere, non scio. Sed hoc vide,
Vide inquam, amice Laurimanne, ne dum ego
Ita ab SECVNDO *vtroque & hoc & altero*
Secundus alter esse iudicor tibi,
Secundus esse nemo post velit mihi.

Ad Ste-

Ad Stephanum Pighium.

VIRORVM *ocelle, quotquot in fide sua*
Habet Minerua, mî semel Pighi modò,
Nec ante vise, sed diebus omnibus
Tamen cupite: si quid ipse fors vacas
Adhuc, vt ante, diligi: ecce me tibi
Paratum habebis vsque, siue seriis
Tuis vacare, siue lusibus voles.
Deûm sed, heu, quid ira nuntiat mali?
Heri tepente post meridiem polo,
Mihi sibiq; Morus ille cùm tuus
Domi te vbique flagitaret, & foris,
Repulsam vbique passus est, nec vspiàm
Domi forísve conuenire te fuit.
Vbi bibisse te putemus, ô Pighi?
Libet rogare. te per œnopolia,
Et angiporta, te per vrbis angulos,
Soloq; trita neminis prius loca
Minister vsque quæritatum iit meus:
Nec es repertus. Hoc necesse, Ceïo
Querar dolore. tanto, amice, te mihi
Negare fastu? ô omnium cor vndique
Leporum inane. Sed valebis heu Pighi,
Vti merere. debeo tibi nihil.
Fruêre dêhinc quiete, nec meo tibi
Erit molestus hic vel ille nomine.
At ipse porrò habere res tuas tibi

Iubebo, meq́ limine à tuo ſtatim
Procul fugabo: dum carendo te Pighi,
Carere poſſe diſcam, & eſſe peruicax:
Tuam nec aſsis æſtimare gratiam.
Quid eſt? pigétne iam ſuperbiæ Pighi?
Pigétne mentis? hoc inultus auferas
Semel licebit, at pudenter, vt ſcias,
Eaq́ lege, ne te identidem iuuet
Foras abire, neu tabella liminis
Tibi obſeratur, ipſe ſi reuenero.
Parata namque pœna non leuis tibi
Furens Iämbus, iſtam, inique, qui fori
Tuæ, tibiq́ repprimat ſuperbiam.
Proïn manebis vſque, ſi ſapis, domi,
Suaq́ ſponte ſubſilire mî fores
Tuas docebis. Hoc tibi expedit Pighi,
Malum tibi niſi oſtioq́ vis tuo
Dari ſuperbus. Heu quod excidit meo
Nefas ab ore? parce feruido precor,
Benigne parce, noſtra dum receptui
Canat Thalia, meq́ dedicet tibi.
Velim pol inquis. at quod ecce vis, habes.

Epita-

Epitaphium Rogêri Hangouardi.

RESISTIS *hoſpes? an periculum in mora eſt?*
Id eſſe credo, cur ità vrgeas iter
Gradu volante: ſed reſiſte, ſi ſapis,
Tamen parumper, vſque dum quid ipſe te
Velim indicâro: quod ſimul reſciueris,
Eas licebit. Hic Rogêrus eſt ſitus,
Habetq́ neſcio hoc quid abditum cauo
Quod explicare præ dolore non queo.
Rogêrus ille gentis Hangouardicæ
Propago, qui tenellulis ab vnguibus
Sacro Themiſtis educatus in ſinu,
Vbique notus Artium ſcientia,
Boniſq́ Iuris vtriuſque floruit.
Et hoc negare poſſe Flandrias nego,
Vagumq́ Lyſin, Inſulaſq́ nobiles:
Quibus Senator antè, poſteà datus
Rei Tribunus eſt Pecuniariæ,
Et æra iuſſus exputare Cæſari.
Nihil ſed æra, nîl fides & ingenî
Benigna vena, nil ei ſcientia
Superba Iuris vtriuſque profuit,
Inutiliſq́ gentis Hangouardicæ
Propago: ſed nec ipſe CAROLVS *potis*
Fuit vetare, quô minus nouiſſimam
Profectus vſque ab Inſulis ſuis domum
Migraret hoſpes indomabilis Deæ.

Scio

Scio dolere iam, Viator, hoc tibi.
Sat eſt: abi, vtq; TERRA SIT LEVIS *Sacro,*
Precare ritè, pulueri, ac memor Vale.

Ad Philippum Morum.

PHILIPPE *More, non bene vti amyſtide*
Mihi videre: continenter ad cadum
Falerna ſtertis vdus: & tamen ſitis,
Bibiſq; ſemper. hoc Poëticum putas?
Fugit te inepte: nil minus Poëticum eſt.
Negas? at hûic rei ipſe iam ſtatumina
Dabo adſtruamq;, quæ reuellere, vt puto,
Queas nec ipſe, ſis, & audius licet
Vafer Sophiſta. Nam quid illud obſecro,
Quid eſt, vt abſque mente Baccha dans ſonum
Capútque iactet, & furentis in modum
Pererret alta montium cacumina,
Ferina amicta pelle: contrà amabilis
Nihil decenter ordinata non agat
Thalia, verba ſiue ſit choris opus
Præire voce, ſiue ritè gemmea
Ferire plectra? quid? niſi quòd hûic pater
Præeſt Apollo, Liberum illa habet ducem?
At ire fertur & nouem Sororibus
Comes Bimater, inq; partem Apollini
Adeſſe. credat hoc, placere quem Pholis
Iuuat Philippe, non ego. Hippocrenidum
Apollo namque, non Lyæus eſt caput:

Nec

Nec vnquam amicus ille tam probo gregi
Poteſt fuiſſe, quas ab orbe condito
Et eſſe conſtat & cluiſſe virgines
Viraginéſque: quod profectò non forent,
Iiſce ſi quid impudente cum Deo
Rei fuiſſet. hac te habere cognita
Puto Philippe, qui tot inter æmulos
Repertus vnus es, ſuperba cûi Chlöe
Patere vellet. illa Zonula tibi
Sinus reſoluit, adiuuante Bacchico
Opus liquore. Quare vtrum ipſe mauclis
Vide, eſſe Potor, an Poëta: nam ſimul
Et eſſe Potor & Poëta non potes.

Ad Gulielmum Cripium.

IOVI, *Diiſque gratias ago bonis,*
Cripi erudite, quum te amicum amiciter
Mihi meiſque repperere Verſibus.
Quod auſus antè ſomniare vix eram,
Opum tot euenire copiam mihi
Simul poteſſe: nam quid ipſe præſtiti
Boni malíue, cur ità omnibus palam
Opus fauoris eſſe cernerer tui?
Vt ecce cernor. ô beata ter mihi
Erythreoq́ lux notanda calculo,
Et hora fauſta, qua tibi illud aureum
Nouum edolauit vndecim pedum melos.

Eóne

Eóne nomine, ô Senator vnice,
Abuti amore Victor ausus est tuo,
Vt ista vestra docta dicta nil meo
Facem puderet anteferre nomini?
At ipse prædicare te soles tamen
Apollinaris elegantiæ rudem,
Reíque prorsus inscium Poëticæ.
Pudet pigetq́; sic, facete, te mihi
Dedisse verba. sed licebit hoc ità
Tamen sit omne, dignum amore me tuo
Modò arbitrere. nam quod ad me item attinet,
Pol omne fiet vsque & vsque sedulò,
Vt in tuam quod esse rem potißimum,
Cripi, arbitrabor, id Diis volentibus
Petam, idq́; corde viribusq́; persequar.
Roges, tibi quid arte commodem mea,
Cripi, seuerus atque serius parùm?
Vt ista vestra purpurata dignitas
Habere poßit inter atra nubila
Fori Togaq́; quod subinde rideat,
Renideátque. seria odi & arceor
Rei nec aptus esse Publicæ quea
Iämbicator: in fide esse quam tua
Sat est, tuúmque, sed potißimùm tua.

Ad Cor-

Ad Cornelium Laurimannum.

SVPREMA *ritè qui Necessitudinis*
Obire parte munia ex sua cupit,
Næ eum profectò oportet anxiè sui
In arce multa conlocare pectoris,
Suis placere quæ potissimùm bene-
Merentibúsque, amiculisq́; censeat.
Placere dico, ne videlicet catè
Parùm loquatur, actitétve quippiam,
Quod esse possit his malo, aut molestiæ.
Velut me Iämbus, ad te (ocelle) quem dedi
Miserrimum malè omnibus modis habet,
Miserrimum hercle. nam quid obsecro minus
Iämbicum, minúsve dignum amabili
Tuo in me amore, iudiciq́; candida
Pote á me abire perspicacia fuit?
Pudet profectò, quum Poëticæ illius
Licentiæ recordor: idq́; ni foret,
Molestus ipse neutiquam forem tibi,
Vt hanc, iocose Laurimanne, noxiam
Mihi meisq́; versibus remitteres.
Sed, ô, sed erro: culpa non fuit mea,
Mea illa culpa, Laurimanne, non fuit:
At omne dandum & hoc tuo Eikeo puta,
Tibiq́; Laurimanne, candidum caput,
Tibi Eikeoq́; dico, queîs parum fuit,
Probè me habere cognitum hunc Gamerium,

Nisi

Nisi viderer ipse dignus insuper
Idoneúsque, lectione quem noua
Lacesseretis ipsius Poëmatum.
Quibus pòl ipse post Gothalsium nihil
Puto fuisse, vel futurum ineptius,
Neque esse posse. si angue peius & cane
Adhuc perosus vsque me fores tibi,
Mihi quid à te, & auribus meis, refer,
(Per vniuersa te Deûm oro numina)
Pote euenire pestilentius fuit?
Sed hoc, proterue Laurimanne, nos beat,
Quòd haud inulto abiuit hic iocus tibi.
Loquuntur hoc, loquuntur hercle Iämbici
Mei: quibus te, vti ô merere, muneror
Modò, quibúsque muneratus anteà
Fui. Quid? an male hîc relata gratia est?
Quid est? pigétne iam Gamerij tui.
Pigétne quæso lectionis Eikeum?
At hercle pœnitebit admodum breui,
Nisi canatis ambo iam receptui,
Receptui ergò, Laurimanne, fac canas,
Receptui Eikeë, antequam male vltima
Mihi hercle pœna de te & Eikeö datur.
At interim valete, abite vos procul
Eò vnde perditum attulistis huc pedem,
Profana turba, pessimi Gamerij.

Ex saviorvm libro.

QVID, ô, quid (Ida) vis tibi osculis tuis,
Labella frustrâ hiulca porrigens mihi?
Omitte: nolo nos superba basies.
Vt ista tanti ego, ista vestra basia,
(Iniqua) tanti vt æstimem, quotidie
Vt imputentur hæc trecenties mihi?
Iuuant quidem illa (non nego) omnibus modis,
Hymettiisq; dulciora sunt fauis:
Nihil sed ante vesperam, imò protenus
Futura nîl, simul me abire iusseris.
Et ille tam benignè & ebriè nimis
Madere visus osculis tuis modò,
Situ sitiq; dispерire cœpero:
Labris vbi aritudo venerit meis
Repente, quodq; tale scis opus sequi
Solere, maior osculandi & acrior
Tui cupido. Quare omitte conqueri
O Ida. namque si iuuaris osculis,
Neque insolenter illa venditas mihi,
Datis ouabo: sin dedisse pœnitet,
Et exprobrare pergis; ecce me tibi
Paratum ea omnia, vnum adusque, reddere:
Mihi inuicem (Ida) redde, quæ dedi tibi.

Ex eodem opere.

PARODIA Catullianis numeris, de eiusdem PHASELO adumbrata.

In effigiem ROSILLÆ defunctæ.

Et os & ista (quæ vides) Labellula
Ferunt fuisse pyxidem Dioneam,
Vbi reposta margarita conderet:
Neque vllius Deæ, aut puellæ honoribus
Nequisse prænitere, dum quidem, sibi
Opus quod esset, omne promit indidem:
Et ipsa facta se venustior Venus
Bonis Clientæ abutitur, quasi suis.
Bonis, quibus fuisse rarius nihil,
Nihil pote esse carius mihi, aut iis,
Quibus madere rore Cyprio placet,
Suäuisq. vinnulis venustulis
Cor irrigare, nomine haud suäuibus
Modò, sed & reapse: siue quem tremens
Labante voce sub susurro amabili
Iuuat querela, siue flammeus nitor,
Fragrantiaq. mista vis flagrantiæ.
Et hoc negare Gallicum sinum negant
Ligustici sali, Insulasq. Stæchadas:
Vbi ista, post Labella nata Basiis,
Coralla lucida ante, dos Salaciæ,

Thorum

Thorum quâ adepta Regium, ac Thalaßicum
Decus fuere: Templa cuius haud semel
Nouo superba reddidere murice.
At erro: nec Coralla enim ista Gorgonis,
Odor colorq́ sed fuiſſe comprobat
Roseta, quæ (nepote Dardano Venus
Super Cythera vecto) & aura & osculis
Suis refecta spiritu induit nouo,
ROSILLVLÆQVE *suâuio addidit meæ.*
Iocose DOVSA, BASIIS *ouans tuis,*
Tibi hæc fuiſſe & eſſe cognitißima
Et Os, & ista clamitant Labellula,
Tuo bilinguia ore facta primitus,
Tuis rude imbuiſſe Suâuiis iecur
Fatentur illa, ſucta, preſſa mordicus:
Et inde basiandi amore percita,
Redhostiente contrâ amore, nescio
Quid addidiſſe disciplinæ huic noui.
Itâ hercle docta visa, seu bilingui opus
Prehensione, seu tremente sibilo,
Loquacibúsve morsiunculis foret.
Sed hæc priùs fuere, dum hîc quidem, ah, tibi
Fuit ROSILLA, *nunc quæ in orbe Cyprio*
Suis minora facta pocla de Labris
Ioui Deisq́ nectare vda temperat,
Phryge abdicato, ouansq́ se dicat tibi
Dione Amoris, atque Amor Dionee.

AD VIRVM NOBILEM VIRTVTE *& genere Ianum Doûsam, principem Poëtam huius æui, Ode.*

VNDE exordiar optimum eſt
  Laudes, DÔVSA, tuas? æſtuo, & anxius
Curâ multiplici premor.
  Felix namque inopem copia me facit.
Antiquúmne canam genus,
  Et præclara Domûs lumina DÔVSICÆ?
An verò ingenium loquar
  Excultum geminæ PALLADIS artibus?
Nam quid robore Martio
  Poſſes, nouit Iber, quùm pauidus mori
Defenſam auſpiciis tuis
  Vrbem præcipiti deſeruit fugâ.
Quis Phœbum colit, & nouem
  Muſas, nec pariter Dôuſiadem colit,
Phœbi delitium, ac nouem
  Muſarum? placidis cûi puero Venus
Blandùm arriſit ocellulis.
  Cûi Sûada os tenerum, mellificæque apes
Illeuere labellula.
  Quem rore Aonio Pieris imbuit
Eductum manibus ſuis,
  Quà pulſat gemino ſidera vertice
Mons ſacratus Apollini.
  Quem recta aëreis Fama iugalibus
Certat tollere in arduum.
  Sed quò me violens abripit impetus,

Atque

Atque inſania amabilis?
  Non iſthæc humili conueniunt Lyræ.
Nec te, Muſa procax, decet,
  Fortunæ metuentem alitis Icari,
Vires vlterius tuas
  Affectare gradum: ne vitio ingenî
Infantiſque loquentiæ
  Plectro digna graui encomia deteras.

Ad eundem.

IANI GRVTERI

CARMEN.

Nox vbi, Perſephones laxato carcere, nubit
  Polum nigrante cyclade,
Surſum homines tollunt oculos, mundiq́ue tuentur
  Modò hæc, modò illa lumina.
Diſpiciuntq́ue ſibi haut pauca, innumero è numero,
  Quibus palàm imputent iubar. [acre
Sol at vt, igniuomam quaſſando lampada, Noctis
  Equabus iniicit fugam;
Ilicet exiguæ faculæ moriuntur; vbîq́ue
  Stetere, dicere haut queas.
Sic quoque ſi ſurgat, vatum monumenta, libido;
  Modò hæc, modò illa voluere:
Fòrs quædam melioris erit ſpectare monetæ,
  Reconditiq́ue ſpiritus.
At quòm Douſæ oſtentant ſe Emblemáta Muſæ,
  Suâ cupido quæ manu,
Mille locis, & mille modis ità vermiculauit,
  Se Apollo victum vt ingemat;

Cedite

Cedite Romulei Cantores, cedite Galli:
Sonus virûm vnus omnium eſt.
Qui ergò volet, montes Eratus, laticeſque fatiget,
Canorus ales vt cluat,
Dôuſæ ſcripta Helicon mihi erunt, mihi erunt Aga-
Poëta mox vt audiam. [nippe,

GEORGII BENEDICTI
HARLEMENSIS.
De eodem.

FORTE pererrabat ſiluas, Helicone relicto,
Aoniam tangens doctus Apollo lyram.
Tangebant Muſæ pariter, fratremque ſequentes
Pulſabant ſimili dulcia plectra ſono:
Obuius interea reſonans ſua carmina IANVS,
Præſentem, occurrit, neſcius eſſe Deum.
Ponè ſequebantur præëuntem carmina Lauri,
DÔVSÆO optantes vertice poſſe geri.
Ponè ſequebantur, ſilueſtria numina, Fauni,
DÔVSÆO optantes carmine poſſe cani.
Tum Phœbus: Quin æthereas feror, inquit, ad arces,
Si DÔVSA in terris me meliora canat?
Vos ô Sicelides, victori occurrite Vati,
Et comites Lauri, quàm trahit, eſte meæ.
Sic erit & Phœbus terris, & Phœbus Olympo.
Felices homines, queîs licet eſſe Deos!
Dixit, & æthereum curru conſcendit Olympum,
DÔVSAM Heliconiadum turba ſequuta fuit.
Nunc eat, Euridicen reuocet Rhodopeïus Orpheûs:
Qui cælo includit numina, quantus erit?

FINIS.



